6
19-d
23

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
12 C
33

6.19.d.23

Digitized by Google

PRÆLVSIONES POETICAE

SIGISMVNDI A S. SYLVERIO
FLORENTINI

Cl. Reg. Paup. Matris Dei Scholarum Piarum Etruriæ Præpoſiti Prouincialis, in Florentina, & Fæſulana Diœceſi Synodalis Examinatoris, & S. Officij Conſultoris.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Bibl. Rom. Schol. Piar. S. Pantal.

FLORENTIÆ,
Apud Vincentium Vangeliſti. MDCLXXXIII.
SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISS. PRINCIPI

FRANCISCO MARIÆ AB ETRVRIA.

SIGISMVNDVS A S. SYLVERIO Scholarum Piarum Perp. Felic.

BIBL. NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ex quo Sereniſs., ac Reuerendiſs. Princeps Leopoldvs Męcenas meus prę ſentiſſimus Terras reliquit, quas Virtutum Famà reple-

uerat, Te, FRANCISCE MARIA Sereniſs. Magnę illius Mentis Hæredem cum viderim, in eandem Clientelæ ſortem tecum venire ſtatim ſperaui; meæ tamen conſcius exilitatis timidus diù ſilui, neq; vnquàm auſus elucubrationum aliquid Sereniſs. Tuo Nomini nuncupare. Nunc verò tandèm ſummà, & propemodum inexplicabili humanitate, ac ſingulari ſtudiorum quorumcumq; fauore timorem meum adeò viciſti, vt Libellum hunc Tibi venerabundus offerre ampliùs non reformidem. Argu-

Digitized by Google

gumenta ſaltèm diſplicère non poterunt; aut enim *Sa*cra, aut Heroica vt plurimum pertractantur. Excipe igitur, Princeps Optime, leuidenſæ hoc munuſculum lætabundà, quà ſoles, Maieſtate, & quam ſpem Gratiæ tuæ vehementèr concepi, clementèr foue. Qui nunc Tibi alias de Te. Felix diù viue ad literarum felicitatem. Florentiæ apud S. Mariam ad Riccios Kalendis Februarij MDCLXXXII. ab Incarnatione.

Digitized by Google

AVTHOR
AD LECTOREM.

QVI nupèr Italus qualitercumque Orator apparui, Latinus nunc Vates. Collectanea hæc eſt eorum, quæ diuerſa peperit Ætas. Non aliquà neceſsitate, non Amicorum impulſu Typis committo, ſed mero Genij ductu, quo Pater quilibet Prolem ſuam Domi ſemper deliteſcentem non patitur. Hanc mihi laudem audactèr arrogo, quod me ipſo Conſultore vſus non ſum, ſed Amicorum limam adhibui, quorum Iudicio acquieui. Tantulæ autem hac in re facultatis meæ Miniſtri, & Authores fuere P. Carolus Ioannes à Ieſu Licienſis Religionis noſtræ

ſtræ

ſtræ Præpoſitus Generalis Vir Scientijs profundus, Eloquentià ſublimis, Legum peritià, atq; omnigenà Eruditione præclarus, quem Doctorem quondàm ſortitus celebri in Algentium Academià Theate poſita, quam primam Studiorum meorum Altricem appello; ac P. Alexius à Conceptione Anconitanus Procurator Generalis Eloquentià pariter, & multiplici cognitione laudandus, quem Romæ apud S. Pantaleonem Magiſtrum habui; & iure quidem merito glorior tantos Præceptores audiuiſſe. Horum labores ne in me fruſtranei prorsùs euaderent, & ne Matris amantiſsimæ Religionis ſpem penitùs fraudarem, aliquid identidem exaraui, publicis præſertim occaſionibus id petentibus. Hæc itaq; erudite Lector, eadem excipe fronte, quà tua excipi amares. Vale.

INDEX
EORVM, QVI IN HIS PRÆLVSIONIBVS NOTANTVR.

A

ÆGidij, Theodoſius Ord. Præd. hæbraicæ linguæ Profeſſor, & Concionator 150.
Alexander Strozzi Epiſcopus Aretinus 226.
Alphonſus Eſtenſis Sereniſs. Dux Mutinæ 111.
S. Andreas Corſini Epiſcopus Feſulanum 156. 173.
S. Antoninus Archiepiſc. Florent. 170.
Antonius Coccapani Doctor, & Eques 239.
Antonius Comes 154.
Antonius Magliabechi 29. 149.
Aueranus Seminetti Vates 59.
Auguſtinus Coltellini Aduocatus 105. 129.

B

BAdij, Raphael Ord. Præd. S.T.M. 145.
Baldi, Camillus 251.
S. Barbara 156.
Bartholomæi, Mathias Maria Marchio 251.
Bartholomæus Coccapani Ariminenſis Epiſc. 245.
B. Bernardus Ptolomæus Senenſis Ordinis Montis Oliueti Fundator 73. 163. & ſeq.
Bonifacius VIII. Pont. Max. 159.

Cain

C

CAin effigies 184.
Camillus Baldi 251.
Capponi Vincentius Marchio Vates 128.
Carolus a S. Antonio Patauino Scholar. Piarum Vates 133.
Carolus Coccapani 128.
Carolus Franciſcus Airoldus Apoſt. Nuncius 96.
Cęlius malus Poeta 122.
Cherubinus a Bibiena Min. Obſ. Concionator 143.
Cherubinus Malaſpina Biturgienſis Epiſcop. 120. 134. 135. 213. & ſeq.
Chriſtina Pallauicina 118.
Clemens IX. Pont. Max. 34. 116. 184 & ſeq.
S. Clemens Pont. Max & Marty. 127.
Coltellini Auguſtinus 105. 129.
Concini Henricus 232.
Corſini Nerius S.R.E. Cardin. 94. 95. 195. & ſeq.
Ioannes Baptiſta 235.
Coſmus Tertius M.E. Dux 23. 65. 113. 139. 161. 210.
Cyprianus à S. Carolo Schol. Piar. 249.
Cyrenæus 141.

D

DEſiderius Montemagni Ferdinandi II. à Secretis 120.
Diogenes 128.

Effi-

Effigies Coſmi III. M.E. Ducis 139. Chriſti Cruci Affixi 143. in Cęlum aſcendentis 153. Cain 144. B.M. Virginis ab Angelo ſalutatæ 171. Ioannis, & Sigiſmundi Coccapani 244. Ioannis Tedaldi 246. Franciſci Antonij Triuerij Min. Conu. S. Franc. S. T. M. & Florentini Inquiſitoris 252.
Eligius Veientanus Sch. P. 133.
Eliſabetha Vecchietti 238.
Euchariſtiæ SS. Sacramentum 141.
Eugenius Gamburrini Caſſinenſis Abbas Hiſtoricus 126.

Fabius Cyllenius Aduocatus 236.
Fauſtinus 146.
Ferdinandus II M. Etr. Dux 205. & ſeq.
Ferdinandus Coſpi S Stephani Commendatarius, & Aretij Baliuius 87.
Ferdinandus Leop. del Migliore Hiſtoricus 137.
Filia Herodiadis 144.
Florentia 159.
Fontana Familia 247. Ioannes Comes 156.
Franciſcus Eſtenſis Sereniſs Dux Mutinæ,&c. 111
Franciſcus Antonius Triuerius Min.Conu.S.T.M. & S.Off. Inquiſitor Gener. Florent. 252.
Franciſcus Nerli Iunior S.R.E Cardin. 139.
Franciſcus Redi Sereniſs. Coſmi III. M.Etr.Ducis Medicus, &c. 150.

Gel.

G

GEllus 120.
S. Gregorius Magnus 149.

H

HEnricus Concini 232.
Hercules Coccapani Comes 147.
Herodiadis filia 144.
S. Hieronymus 145.
Hieronymus Saponari Cęleſtini Ord. Abbas Generalis 232.
Hippolytus Malaſpina Marchio 118.
B. Humiliana de Cerchis 39. vſque ad 59.

I

IAcobus Gaddi 160.
IESVS Dialogus cum Virgine Matre 99. eius Natiuitas 140. Inſtitutio SS. Sacramenti 141. Reſurrectio 142. Aſcenſio ibid.
Innocentes Pueri 141.
Ioannes Andreas Monelia Medicus, & Vates 125.
Ioannes Baptiſta Sauona Medicus 237.
Ioannes Coccapani Doctor, & Mathematicus 242.
Ioannes Fontana Comes 156.
Ioannes Tedaldi 246.
Ioannes Franciſcus Ricaſoli Eques Hieroſolymitanus 81. & ſeq. 146 221. & ſeq.
S. Ioannes Gualbertus Ord. Vallis Vmbroſæ Inſtitutor 37. 175.

Io-

Ioannes Gualbertus à S. Sigiſmundo Sch.Piar.122
Ioannes Paulus Bimbacci Vallis Vmbroſæ Monachus 91.
Ioannes Syluerius à S. Ioſeph Sch. Piar. 247.
Ioſeph Baptiſta Vates 62.

L

LEonardus Coccapani Comes Aſtronomus 132
Leonardus Zenobi Min. Conu. Concionator 123. 251.
S. Leo Pontifex 115.
Leopoldus Medices Etruriæ Princeps S.R.E. Cardinalis 1. 114. 139. 140. 168. 225.
Ludouicus Coccapani Comes 111. Ludouicus Herculis Filius 154.
Ludouicus Incontri S. Mariæ Nouæ Hoſpitalarius 233.
Ludouicus Magni Min.Cōu.Epiſcopus 218.& ſeq.
Ludouicus Scotus Min. Conu. Mag. & Concionator 155.

M

MAgliabechi, Antonius 149.
Malaſpina Cherubinus Epiſcopus 134. 213. & ſeq.
Margarita Roſalinda Coccapani Montis Carmeli Monialis 98.
MARIA Virgo 92. 98. Dialogus ipſius cum Ieſu 99., eius Conceptio 130. 153., Nati-
ui-

uitas ibid. Annunciatio 118.131.151.171.
Mathias Maria Bartholomæi Marchio 251.
Medices Ferdinandus II. M. D. Etruriæ 205 & ſeq. Leopoldus S.R.E. Card. 1. 114. 139. 140. 225. Coſmus III. Mag Dux Etruriæ 23 113. 114. 139. Ferdinandus III. Etr. Princeps 250.
Mediceum Stemma 156.

N

NErius Corſini S.R.E. Cardinalis 94. 95.
Nerli Franciſcus Iunior S. R. E. Cardin. Archiepiſcopus Florentinus 139.

O

OCtauius Scarlattinus 103.
Opitius Pallauicini Apoſtol. Nuncius 119.
Ouænus Poeta Hæreticus 117.

P

PAſtor, & Venator 117.
Paulus Coccapani Regienſis Epiſcopus 240.
Petrus Andreas Trincherius I.C. & Vates 136.
Petrus Franciſcus Minozzi Vates 115. 121.
S.Petrus Igneus 177.
Philippus Antonius Coccapani Marchio 109.
Philippus Baldinucci Hiſtoricus 132.
S.Philippus Benizi 169.
Philippus Macedo 138.

S Phi-

S. Philippus Nerius 183.
Pueri Innocentes 141.

R

Raphael Badij Ord. Prædic. Mag. 145.
Raphael Torrigiani 145.
Redi Franciſcus Sereniſs. Coſmi III. M. D. Etrur. Medicus, &c. 156.

S

Sampſon oculis effoſſus 125.
Scoti, Ludouicus Min. Conu. S. Franc. S. T. M. & Concionator 155.
Seminetti. Aueranus Vates 59.
Sigiſmundus Coccapani Graphicus, & Mathematicus 244.
Statua Sampſonis calua 126.

T

Tedaldi, Vangeliſta Ord. Seru. B M. V. Sereniſs. Coſmi III. M.E.D. Theologus 148. Ioannes 246.
Theodorus Baldini Vallis Vmbr. Abbas Gener. 36.
Torrigiani Raphael 145.

V

Valgius 110.
Vangeliſta Tedaldi Sereniſs. M. E. D. Coſmi III. Theologus 148.
Veuator, & Paſtor 117.
Venus Apellis 121.
Vincentius Capponi Marchio Vates 128.

Z

Zenobi Leonardus Minor. Conuentual. Concionator 253.

CAR.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CARMINA:

Digitized by Google

Digitized by Google

MYSTA REGIVS,

SIVE

LEOPOLDVS

SERENISS. AC REVER. ETRVRIÆ PRINCEPS
S.R.E. CARDINALIS

SACERDOTIO INITIATVS.

PANEGYRIS.

SERENISS. AC REVERENDISS. PRINCEPS.

PRincipum gloriâ Populorum lætitia commenſuratur. Sub claro ſcilicet Capite viuere decus membrorum eſt. At quantum gaudij cumulum Etruria ſuſcepit, cum Te, Sereniſsime, ac Reuerendiſſime Princeps, cæleſti decoratum Munere, propiuſq; ad D. O. M. Mente, Auctoritate, Dignitate, per Sacerdotium accedentem ſuſpexit? Quippe

 ſu-

quæ diù quem in homines dominantem amauit, nunc ipſi Deo quodammodo imperantem veneratur. Nemo quidem ſatis poteſt exprimere præter ipſam Etruriam, quæ Cœleſte huiuſmodi gaudium vidit, eademq; ſuſcepit. Lætas itaq; ipſius lætus voces excipe. Priuatus Teſtis communem Interpretem ago, vt, & priuatim obſeruantiæ meæ, & commune totius meæ Religionis teſtimonium exhibeam. Vale. Ex Piorum Academia Kalendis Ianuarij Anni Salut. MDCLXXV.

Aſpicit occiduum faſtis melioribus annum
Hybernos mulcere dies, noua ferre ſub auras
Gaudia conuexo Cęli de vertice Titan.
Aſpicit inſertum, Flora plaudente, Tiaris
Mediceum Diadema ſacris. Nitidiſſimæ rerum
Gloria Tuſcarum, nuper, LEOPOLDE, beato
Macte Miniſterio, cui ſe modo Numen ad Aras
Obtulit inſtanti, cum Cœlica Verba referres.
Ore rubens, & corde calens. Qua carminis arte
Promeritum Pæana canam? Rediuiua iacentem
Sume vocata chelyn, contemne ſilentia Clio.
Quam benè per ſacros exaltat Etruria plauſus
Auſpicijs elata nouis! Iam fidæ ſecundas
Exhibuit fortuna vices, iam reſpice dextram,
Quæ tulit Imperij Magno cum Fratre ſecures,
Replenteſq; reum merita formidine faſces.
Reſpice Triticeo verſari Numen in Orbe
Numen amoris: io! pietate potentior æquæ

Iu-

Digitized by Google

Iuſtitiæ ſucceſſit amor; clementia Regis
Etruſci quantum dominis excreſcit in Aulis!
Si Te Religio trabeatum syrmate quondam
Purpureo fulgere dedit, rebuſq; præeſſe
Tergemino cum Patre, ſacrum comitare Senatum
Murice fulgentem Romana per Atria, Princeps,
Quo modo corde rubes, quali modo mēte refulges,
Fæta mente Deo, ſaturatò corde Cruore
Diuino, qualem populus tibi ſubditus ignem,
Quale iubar lætus, LEOPOLDE, tuebitur Arnus!
Ante Tuis, quas æqua dedit fortuna, Coronas
Arte laboratis circumdedit India gemmis,
His quoque ditandis, eſſent vt Principe dignę,
Exeruit flauum Tellus Peruana Metallum,
Ditis Erythrei niueas conchylia baccas,
Littus & eoum patrio de Gange Lapillos
Igne refulgentes, nec non Adamanta coruſcum
Caucaſei miſere ſinus, nunc ſidera certant
Muneribus cumulare ſuis, æraria pandunt,
Diuitiaſq; Poli tibi prodiga facta refundunt.
Hinc tibi maieſtas duplicata coruſcat auita,
Fœdere ſeq; pio ſociatam iungit Amori.
Sic bene conueniunt, & in vna ſede morantur,
Mentis vbi hoſpitio complexus vtrumq; fidele
Cogis in obſequium populos; hinc maxima laudum
Congeries æterna tuis in ſęcula rebus

Orta futurorum plauſus habitura Nepotum.
Ecce Tuas venerata manus Etruria gaudet
Auſonias inter Regina beatior omnes
Lętitijs effuſa nouis, ornata fluentes
Nobilis Imperij claro Diademate crines,
Regales imitata Duces in Cyclade, ſceptro
Formoſas decorata manus, cui palla per aurum
Lucida Mediceos ſinuans amplectitur Orbes
Oſtro fulgentes, inſertaq; Lilia gemmis;
Olli turba frequens famulari cernitur, vltrò
Parthenij ſociare Chori, quos littora dudum
Miſerunt Tyrrhena ſuis ex Vrbibus: illi
Gratantur Dominæ ſub pectore ſacra ferenti
Gaudia, quę tandem lætis ità vocibus infit.
Salue littoribus, Princeps, lux inclyta, noſtris
Addite, diuinis dudum decus addite rebus,
Da faciles, Leopolde, *manus, præbe ora loquenti,*
Ora pudore, graui cum maieſtate ſupremo
Digna Miniſterio: ſi te mea nouerit olim
Præſentem Dominum, diſcat modo noſſe Parentē,
Sique regi ſueuit, iam nunc aſſueſcat amari,
Atq; alias ferat illa vices, trepidiq; timoris
Vertat in obſequium felix Patre filia nomen.
Viſa diù felix cum ſecula priſca viderent
Stare meas olim Tuſcis Lucumonibus Aras,
Fidere venturis noſtro ſub Aruſpice Romam;

Illam

Illam & fatidicis moderari legibus orbem,
Vates perq; meos cæcas inquirere cauſas,
Vel cum fulmineis tremerent Capitolia flammis,
Vel formidarent ſubitam delubra ruinam,
Cum trifidi caderent atris è nubibus ignes,
Multaq; thuricremas caderēt ſimulacra per Aras,
Seù baccaretur dominam fera peſtis in Vrbem,
Quidue ſibi dirus tellaris hiatibus Orcus
Poſceret, inſolitis aut ſidera lucida flammis,
Cum premerent animos atris minitantia mōſtris.
Viſa diù felix, cum nomen in Aſtra meorum
Surgeret, & noſſem legum probitate tueri
Iuſtitiam, populos & ſubiectare potentes
Imperio virtute magis, quàm robore victrix,
Belligero magis ingenio, quàm caſpide fortis.
Nec tamen armiſoni mihi debita gloria Belli
Defuit, armatæ iam tum mihi ceſſit & Vmber,
Et quibus Erydanus creſcentibus influit vndis,
Et fluctu refluo quos vnda Liguſtica lambit.
Tum mea Dardanij timuerunt arma Quirites,
Et rerum Domini didicere pericla timere,
Cum iam Romuleos circum cingentia muros
Tyrrheni vexilla Ducis, cum caſtra viderent,
Vincla, iugum, flammas, atraſq; minantia cædes.
At me Religio, quamuis foret improba, cultus,
Numina, Templorumq; nitor, Diuiſq; calentes

Ara, perpetuis& dedita victima flammis;
Poſcendiq; Deos famoſa peritia, nobis,
Littoribuſq; meis quæ nomina grata reliquit
Altius actutum terris euexit ab imis
Emerita Diuum prò maieſtate verendam,
Præpetibuſq; alis tacturam ſidera famam.
At mihi iam tandem meliori ſorte vetuſti
Ecce reuiuiſcunt, Leopoldo *Principe, faſtus.*
Priſca mihi valeant Delubra, valete Penates,
Atq; Aræ, queis vana Deum ſimulacra micarent.
Vt mihi iam ſordent veterum faſtigia **Diuum**!
Vt iuuat antiquum Tuſcorum temnere Nomen,
Thuraq;, non meritos & Religionis honores,
Fatidicoſq; ſimul vacua pietate Miniſtros,
Maiori ſurgente meo ſub Principe *cultu!*
Quid mihi cum bellis, & diro Marte, vel olim
Fama cruoriferis quæſita laboribus? Alta
Dum Te Maieſtas, & Amor, Teq; inclyta Virtus
(Quam vel Celta ferox, vel non ignoret Iberus,
Frigida vel ſeptem ſubiecta Trionibus arua,
Vel qui Sole calens radijs exæſtuat Orbis,
Vel qui roriſluum rutilantibus excipit oris,
Aurora naſcente, iubar) facit vſq; decora
Lege triumphantem, populoſq; decore trahentem
Regali victos, animorum & iure ſuperbum
Imperio. Fortuna iuuat, quos dulce reuinxit
Ser-

Seruitio, queis præſtat amor pia vincula, currum
Suauis honor, quęſitus amor, quibus addit honores,
Acceptuſq; ſemel meritos honor auget amores.
At ſi Te genius magna virtute refulgens,
Summaq; nobilitas, & clarum nomen Auorum,
Quos mea iamdudũ Dominos longo ordine tellus
Nouit, & Aſtrææ felicia secla ſub illis
Si Te vera fides, ſi Te ſapientia dignum
Faſcibus Etruſcis, & sacro Murice fecit,
Quò Te, quò Pietas tantum ſublata reponet?
Quos Tibi Religio meritos ſeruabit honores?
Te Duce iam video Superis excreſcere cultum,
Ditari Delubra, nouas exurgere Moles,
Inſtitui, Cælo, Diuiſq; fauentibus, Aras.
Hinc ego ſub cultu gaudens meliore vetuſtas
Sacrorum Regina ferax mirabor honores:
Hinc ego bellorum nullos experta tumultus
Seruabo Populos, & amica pace quieſcam.
Iam furor Etruſcos, & ſæua reliquit Erynnis,
Atq; odium crudele, miniſq; ſequentibus ira
Ira diu meditata neces, & dipſade paſtus
Liuor, & atra fames, & toto pallida vultu
Pauperies, & quidquid atrox effuderat olim
Diris Eumenydum ſocijs de peſtibus Orcus,
Illis pax, & amor, gratoq; modeſtia vultu,
Et pudor, & pietas, & ſacro fœdere iuncta

Digitized by Google

Religio ſucceſſit opum fæcunda piorum,
Lætitiæq; parens, Auri qua ſecula norit
Noſtra, nec inuideat paci Tyrrhenia priſca
Tempora quam dederunt puero ſaturnia mundo;
Nam Pater Omnipotens, cui ſumma potentia rerū
Innectens adamante fores (qua Tænaris vrget,
Soluit & in terras hominum diſcrimina diras)
Arcet ab humanis immania monſtra, ſerenamq;
Oſtentat Cęli faciem, fortunat & omnes,
Fulgida qua regnent Virtutum examina, caſus.
Sidera ſumma ſuper Populū placidiſſima Tuſcum
Principis exemplo claris Virtutibus auctum
Expertem vitij, ſummà Pietate refertum
Ecce benigna pluunt, in Cœli dona liqueſcunt.

Iam videor captare meas, audire meorum
Laudes, & ſacros Vatum toto Orbe canentum
Pæanes, Romà diciq; beatior ipſa,
Pace ſub exceptà poſitis cum creſceret Aris,
Extrueretq; domos ingentia tecta Deorum,
Exciperetq; libens leges edocta ſupremas,
Pacifero dominante Numà, meliora coruſcant
Aſtra mihi, ſurgunt, Leopoldo *Principe, leges*
Sacrorum celeres populum mollire ſuperbum,
Seclis, vt detur tandem regnare beatis.

Quale decus! Magno recolunt in Principe noſtra
Regna Sacerdotem; verſat iam dextera Clauum

Du-

Duplicis auxilij Terrà, Cæloq; potentem;
Nam qui iam dudum Regni direxit habenas,
Diriget & Populi volucres ad ſidera mentes,
Nec modò conſilio tantum, nec munere Cætus
Seruabit, ſed adhuc Epulis admiſſus Olympi,
Carus & vſq; Deo meritis defendet opimis.
Non ità Niliacas inter venerabilis Vrbes,
Inter & ardentes vicino Sole Phalanges
Æthiopum, Graiaſue manus effulſerit olim
Regnator Populi, diademate clarus, & auro,
Qui ſimul effectus regali iure Sacerdos
Imperij cum ſorte ſacros geſtaret honores,
Proq; fero validas aſſumeret enſe bipennes,
Et prò gemmiferis altà ceruice Coronis
Necteret imbatas ſacrato Sanguine Vittas,
Victima vbi accenſis langueſceret icta ſub Aris,
Muneraq; ardenti, populi cum plauſibus, igni
Sæpè manu, tum forte pià ſuperadderet æqua
Protinùs optatis facturus Numina captis;
Hinc illi creſcebat honos, reuerentia regis
Ibat in obſequium ſacrorum Principe dignum.
O quam Te diuis feliciùs inſeris Aris,
*Quamq; Deum,*Leopolde,*tuum meliore vel oris*
Vota, caleſcentis vel cordis amore fatigas!
Siq; ego Te toties olim Diuina precari
Numina, ſidereis & paſcere pectora flammis

Qua-

Quærere delicias Cæli, & ſolatia vidi,
Cum Tua non tantum ferret conſortia Numen.
Nec Tua tam celebris peteres Altaria votis;
Quid modo? Quas referes cũ ſæpè præcabere Cæli,
Plene Deo, Leopolde, *vices? Sola Aſtra potenti*
Cœperunt humana Tibi ſordeſcere; iamq;
Quamuis & faſtu regali ſeptus, & Aulà
Quamquam auro fulgẽs, Latio trabeatus & Oſtro
Corpore, mente tamen ſummo defixus Olympo
Faſtibus æternum, magnæ, vale, dicis & Aulæ,
Aurum vile putas, nec Te facit ipſa ſuperbum
Purpura, ſed tantum cæleſtis flamma Cruoris
Purpurat accenſam diuino murice mentem;
Vna Tibi Aula Polus, ſoli Tibi ſidera faſtus,
Vnum prò toto Numen Tibi ſufficit Auro.
Vocibus iſta Tuis intentà ſæpiùs aure
Accipiunt repetita Tui: Stupet Aulicus Vrbem
Principe ſub tanto ſummà pietate Magiſtrum,
Noſcere qui dictis, moneatq; ſimillima factis.
Non ego iam vidi (nec adhuc Te Præſulis alto
Cura Miniſterio, penituſq; ſacrauerat Aris.)
Non ego Te vidi populo ſatis vſq; latentem
Nuper, & inſtantes Aulæ vitare tumultus,
Inq; diù tacitum ſuperas incumbere curas,
Et penitùs mentem cupidis incendere votis?
Sic importuni fugiens examina vulgi

Iſacidum

Iſacidum Ductor meruit conſortia Regis
Cęlicolum: Sic Ipſe Tuo, Leopolde, *Tonanti*
Iungeris. O inſigne decus, fama inclyta noſtri,
Perge gradu Pietatis, honos, & gloria lumen
In Tuſcum partita ſolum, ſequiturq;, tenetq;
Te, referetq; tuum ventura in ſæcula Nomen.
Dixerat hæc pandens læto ſua gaudia vultu
Illa, ſacraſq; manus iterum venerata receſſit.

IN FIGMENTA POETICA

VERITATEM ADVLTERANTIA.

DE Inuentione Fabuloſa non loquimur, quæ Anima Poeſis dicitur; Sed de Fabula, quæ nullo veritatis innixa fundamento Heroum Geſta, vel prorſus efficta, vel vitio deturpata demonſtrat.

SOl, qui tergeminum clara vertigine Mundũ
Luſtrat, & aſtriferi duodena per atria Cæli
Ducit equos, funditq; iubar, rutilaſq; quadrigas
Temperat auratis metiri curſibus horas,
Et terræ properare dies, Cæliq; patentis
Lucida ſidereis partiri lumina flammis.

Agni-

Agnitus his tandem flammato in corpore ſeclis
Ferre notas, maculiſq; vagas aſpergere luces.
Signaq; per medios oſtendere pallida vultus,
Inter, & ardentes circum fluitantia flammas,
Non dignas in Sole notas incendere rerum
Sic nouit natura: Nihil ſine labe coruſcum,
Nil purum ſub Sole datum: Sic magnus Olympi
Arbiter æternis incluſit legibus Orbem,
Sciret vt ex imis animos attollere rebus,
Tentaretque ſuper quæ ſunt puriſsima Cælos.
Te quoque non modicis quæſita laboribus olim
Heroum ſublime decus, fama inclyta, Mundi
Gloria, lux hominum, bellis agitata, per acres,
Fortia cui tantum ſudarunt tela, phalanges
Te quoque, te vatum (liceat mihi tanta fateri
Crimina) mentitis congeſta volumina faſtis,
Mendacique tuam vitiarunt carmine lucem.
At vos quid rigidis exſudauiſtis in armis
Heroum famoſa cohors, gens æmula diuis?
Cuius inexhauſtis ſubiecta laboribus atra
Barbaries meliora ſequi, concordia terras
Iungere, & immenſo tum diſsita littora ponto
Nectere ſanctarum concordi fœdere legum
Iam potuit: Toties atri quid in infera ditis
Antra relegaſtis memorando funere peſtes,
Monſtraq; terrigenis deformidata maniplis?

Vt

Vt quid barbaricis patriam tutaſtis ab armis,
Atq; triumphato toties ex hoſte trophæa
In patriā retuliſtis humū? Queis publica patrū
Res latè porrecta ſolo, creuitque Senatus
Inclyta Maieſtas, potuitque ſuperba tumenti
Ponere iura mari, & Reges frænare potentes?
Nequicquā fortes inter quid in hoſpiti Nerei
Arua reluctaſtis, ſyrtes ſuperaſtis, & vndas,
Pugnaceſque Ducum Claſſes, vltraq; rigentem
Hyberna glacie, niuibuſq; micantibus Arcton
Aut vltra Pelagum, qua torrida zona ſubactas
Igne fatigat aquis, tremuloque ſub aere ſæuis
Exagitat flammis, calidaque aſpergine puppes
Claſſica duxiſtis ſaturanda cruoribus arma,
Nec dum viſa prius, nec cognita Regna, viroſq;
Sub melius poſitura iugum, ſpatioq; remotas
Immenſo iunctura feras in fœdera gentes,
Namq; laboriferi per dura pericula belli,
Per formidandos fuerat ſi gloria caſus
Perq; graues adeunda vias, atq; horrida fati
Lethiferi tentanda manus (tot adire labores
Infelix namq; egit amor, ne preſſa iaceret
Fama, ſed immenſo ſe ſe diffunderet Orbe)
Veſtrum erat in totis teſtari nomina terris,
Factaque in æternis non ementita notare
Marmoribus, quæ clara forent monumēta laborū

Ve:

Veraque tum vobis ſtruerent annalia faſtos,
Signarentq; prius merita cum laude triumphos
Ludicra, quam claras atra caligine palmas
Vox tegeret, puris immixtaque fabula geſtis
Nulli hominũ credenda fidem confunderet, ô ſi,
Vobis cum canerent molles haud debita vates
Carmina mendacis quaſita per otia Pindi,
Fama libris, & voce potens, fama inclyta veri
Nuncia Pindiaca mendacia garrula turma
Fregiſſet! Nota ſub Sole beatior iret
Luce Phalanx magnis operata laboribus olim.
Non tot in Oceano claudũtur monſtra, nec Afris
Littoribus, quot iam fama diſcrimina vates
Argolici fouere ſinu, Populique Pelaſgum.
Hinc tibi tot vicibus vitiauit fabula nomen
Græcia, quot dederint alti tibi ſidera Cœli
Inſigni virtute Viros: hinc ſaxa mouere
Dicitur Amphion ad magna mœnia Thebes
Dulciſono (Vatum quis credat anilia?) cantu.
Cui dedit Eloquij tantas facundia vires,
Cogeret vt ſiluas, & luſtra relinquere Cætus
Humanos, & grata fero commercia mundo
Cõderet: hĩc duri ſcopuli nemora alta, ferarũq;
Agmina, & antiquo mutato flumina curſu
Iſmariam ſectata Chelym, Thracemq; canorũ
Hinc modo pampineo reſidet temulentus aſello

Mol.

Mollis, inopſq; ſui ſubiens turpiſſima Baccus
Orgia; Fœmineos inter celebratur honores,
Fœmineoſq; gerit molli cum laude triumphos
Qui ſibi tam duro mauorte ſubegerat Indos,
Belligeraq; nouas properarat acinace lauros
Externoq; prius metuendum limite ferrum
Egerat Argolicum. Quantum creuere Deorũ
Numina digna coli mundo male viſa vetuſto,
Quãtũ, inquã, creuere, ſed atro nomine dignis
Laudibus, & turpi deducta carmine fama!
Siccine cœlicolas, & numina veſtra, Poetæ,
Laudaſtis, merita fierent vt turpia laudes
Crimina? ſic veſtris produxit cornua faſtis
Taurus amans, Tyrijſq; procax immugijt oris
Iupiter Europen rapiens ſic factus adulter
Thebani vitiaſſe Ducis connubia fertur.
Ille etiã (quãuis Diuũ Pater, atq; Hominũ Rex)
Proditor infelix Erycina furta ſecutus,
Cum ſua non caſtos hauſere Cupidinis ignes
Numina, nunc Artes diuino vellera dorſo
Senſit, Amiclaum nunc forma imitatus Olorem
Proluit argutum fluuiali gurgite roſtrum
Tyndareiq; tori niueum rapturus honorem
Luſit ad Eurota niuea ſub imagine fluctus,
Cereus in formas vel nunc ſua corpora turpem
Condidit in Satyrũ, flauũq; liquauit in Aurũ,

Sem

Seu ferus explicuit ſinuoſa volumina ſerpens,
Horrida colla tumēs, oculiſq; micātibus ardēs,
Et ſanie terras infecit. Ouilia ſeruat
Sedibus à ſuperis exul; pecudeſq; Magiſter
Ducit, qui quondam rutilantia ſidera, Phœbus.
Qualibus (heu duriſſima Cęli fata perennis!)
Qualibus Aſtrorū putruerunt atria Monſtris!
Delius in Coruum, potator Iaccus in Ircum,
In Vaccam Iuno, Cyllenius Ales in Ibim,
In volucrē Saturnus Equū, Neptunus in Vndā,
Paſcentemq; ſoli viridantia gramina Taurum;
In Piſcem formoſa Venus, Latois aduncam
Vertitur in Telem; dicant ſi carmina verum.
In turpes abiere Feras fera Numina Diui,
In Diuos abiere Feræ; ſi tanta feruntur
Per Superos Armenta Polos, ſi deniq; vultus
Oceano, terraq; Dij ſubiere ferinos,
Vel ſtabulum dixere Polos, vel deniq; terras
Cælorum ſubyſſe vices. Iure ergo feroces
Mulciber ipſe feras medio captauit Olympo,
Cum Venus armiferū irretiſſet adulrera Martē.
Quid memorem pugnas? quid furta infanda? quid acres
Inſidias, ſcelerumq; dolos, iraſq; frementes,
Æternaſq; odij flammas, quibus agmina Diuū
Ludicra (proh laudes!) toties iactata viciſſim?

Hac

Huc vos vſq; furor, morbuſq; poeticus egit,
Vt quos incenſas timidi coleretis ad Aras,
Quos Cęli Dominos, terraq;, erebiq; profundi
Numina iactaſtis, tantum potuiſſe nefandis
Fędari maculis, vitioq; potentius vri,
Et ſuperis indigna pati caneretis? ab illis
Expectate, viri, laudes, illuſtria factis
Carminibus sacri texent encomia Vates,
Queis ſunt iſta Deũ laudũ monumẽta ſuorum
Æternis temerata notis. Sed parcere fas eſt,
Hos trahit in praceps Artis natura procacis,
Turgidus vt ſtipulã fluido rapit alueus amne.
Deſipis, Æacide tu qui lacrymaris ad Vrnam,
Et traheris vana fallentis imagine laudis.
Cacus es, & caci fallentia carmina Vatis
In laudes cupis ire tuas. Vis nulla loquendi
Libera dicendo partos aquare triumphos
Poſſet; & anguſtis mendacia condita vinclis
Signatura tuas aterna in tempora palmas
Reris? an optatum quod non nanciſceris, atra
Inde tibi meritam preſſere ſilentia famam?
Forſan Achilleos non decantatus honores
Inuideas? si nulla tuis ſubit indita faſtis
Fabula, qua veris opponat inania geſtis
Hoc vno poteris magno concedere Achilli:
Quin etiã hoc vno magnus tibi cedet Achilles.

Gloria certa ſibi, toto pulcherrima Virtus
Corpore ſata ſuo lucet fulgore, nec vlla
Parte peregrinis exultat honoribus: illa,
Forſitan aut fucis vnquā mentita? vel vnquā
Indiga nō proprias mendicet adultera laudes?
Illa ſibi merces ditiſſima, ſolaque: latè
Diffundit radios nulli non cognita: cætus
Eſte poetarum procul hinc, procul eſte profani;
Quid vobis cum laude, trahit quā ſola perēni
Iure ſibi Virtus, quæ per mendacia laudes
Excludit veſtras, & deteſtatur inanes?
Quale ſequatur iter, quales animoſa labores
Per duras feſtina vias, infracta periclis
Excipiat Virtus, obliquos aſpice calles
Aſpice ſublimi tangentem sidera montem
Vertice, et horrēdos ſub inhoſpita nubila ſaltus
Perruptaſq; iugi cautes, atq; aſpera dumos
Inter ſaxa truces, & vix penetrabilis vlli
Strata via nigris ſubter labentia lucis.
Hinc sacra naſcuntur vera primordia laudis,
Tantum iter aggreſſos inter quærēda laborem
Fama ſecuta Viros. Quid iners molliſſima fan
Tantum delicijs, & amoribus apta poeſis (do,
Dum ſuaui loquas aptes in prælia voces,
Inq; laboriferos puræ virtutis honores?
Horrida quid reſonēt teneris cū floribus arma

Et

Et cum Caſtalia fluitanti molliter vnda (dor
Quid bellũ cõmune ferat, quid caſtra, quid ar-
Martius? Inſtituant hilares tua ſiſtra choreas
Oſtentant tua ſerta iocos, tua ſpicula amores
Dux tibi ſit nudus cum cæca mente Cupido,
Fœmineo ſtipante Choro. Si fortis amœnum
(Quo tantum veſana tumes) petit vſq; receſsũ,
Clarum myrtetis, & fronte biuertice Phœbus,
Fit tecum imbellis, rigidoſq; effœminat artus
Prò parma ſuſtentat ebur fera dextera, plectrũ
Prò iaculo, galeaq; vices ad tempora laurus
Mollis obit, ceditq; toga lorica nitenti;
Qui fuerat belli ſub honoro puluere crinis,
Captat Achameniũ ſub eburno pectine Coſtũ.
I nunc, atq; tibi diuina vocabula profer
De vino magis orta, ſcyphis & adulta, Poeſis,
Veſtra mouet, Vates, præcordia Iacchus, & idem
Eſt Deus in vobis, & agente caleſcitis illo.
Illum de ſummo lapſum referatis Olympo,
Atq; hominũ ſubiiſſe locos (quod et ipſe fatebor)
Atria ſic etiam Cœli ſuprema reliquit
Qui quondã fieri ſimilis ſuper Aſtra Tonanti
Conatus, miſero meritus, & aerea caſu
In stygias ruit actus aquas, vt dura ſubiret
Vincula, & æternas ſub cæco carcere flammas
Labitur è Cœlo, Cœli quodcumq; cubili

Indignum videatur onus, ſunt omnia Diuis,
Sunt ſine labe, vigent ſuperis innoxia rebus,
Arma, Virumq; canat, Pietatis ad æthera ſummũ
Muſa reducat Opus tantum celebrata Maronis,
Et ferat ad ſuperos laudato carmine Diuos
Inſignem pietate Virum, nataq; Tonante
Inſignem Genitrice Dea, cui fata potentem
Progeniem latijs recturam legibus Orbem,
Imperium ſine fine, atq; alto proxima Cœlo
Mœnia terrarum Dominos habitura pararant,
Et tamen hoſpitij ſcelerantem fœdera ſancti,
Compreſſa Didone, canat. Quid amantis iniqua
Iuratos in fata Deos, fraudeſq;, doloſq;,
Ingratamq; fugam, laudetq;, feratq;? Quid iſtas
Auſonij, Libicìq; notas meruere Parentes
Imperij? Magnos periurus, & ille Quirites,
Illaq; naſcentes infamet adultera Pœnos?
Hæccine vel ſummi texunt encomia Vates?
Parcite virgineas Helicone vocare Sorores,
Et ſibi virgineo gaudentem Pallada vultu,
Nec iam Parthenijs exultent carmina Diuis,
Carmina ſi turpes iactant obſcœna Priapos,
Quiq; putreſcenti fœdæ Cytheræidos igne
Inceſti caluere Dij, varioq; pudicæ
Carmine damnandum turbæ reſeratis amorem,
Plena cupidineis numeroſa poemata curis?

Iam

Iam feſcennino vitiarunt æthera verſu.
Quid mihi fœmineos numeris oſtendere vultus,
Et non quæſitos rapti Ganymedis honores?
Quid me doctiloquus teneri modulator amoris
Idalias docet ire vias, niſi mentis vt alta
Langueat obſcœno depreſſa Cupidine Virtus?
Queis ego Parnaſſi damnoſa Volumina Diris
Fictaq; Apollineas inter viridaria Lauros,
Et, qui Caſtalio labuntur littore, fluctus
Inſequar? Aonij teterrima cura libelli
Diſpereant; atram videant ne sidera peſtem
Obruat iratus ſaxoſa ſub æquora Nereus;
Horrida Caſtalias exurant fulmina lauros,
Et Picis æthnei liuens ferat Vnda Camini
Encelado iaculante faces, & Tartara Vatum
Inficiant molles atra caligine fluctus,
Et creſcens inferna palus, Acheronte refuſo,
Lurida Cyrrhæas inter ſe miſceat vndas.
Sit fatum crudele Iugi Parnaſſidos, illud
Sentiat irato ſæuas Aquilone procellas,
Sit Domus Eumenydum, Stygiæ viridaria peſtes
Euellant Lybicis habitanda draconibus, illic
Nulla dies vnquam Cœlo pacata ſereno,
Aſpera ſed ſeptem ſubiecta Trionibus aſtra
Riphæas hyemes, & ſæuo turbine nimbos
Horrendos irata ferant, ſit perfidus aer,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Illaq; Tænarij ſint tecta domeſtica Cætus,
Cerberus atq; Erebi veniens è Littore cuſtos
Non ferat acceſſum, Stygijſq; latratibus Orbem
Terreat, æternum damnati denique Collis
Muſarum capiant faciles obliuia Terras,
Si tamen Heroum Famam ſuper Æthera notam
Per geſta indignè temerari Fabula tentet.

BIBLIOTHECA
MEDICEA
AD
COSMVM TERTIVM

SERENISS. ET CLEMENTISS. ETRVRIÆ MAGNVM DVCEM SEXTVM.

SERENISS. AC CLEMENTISS. PRINCEPS

EAS Beatas eſſe Reſpublicas dicebat Plato, quæ à Sapientibus regerentur. Qua quidem ratione beatiſſimam deprędicaret Etruriam, ſi inter viuos nunc degens ſapientiam Tuam agnoſceret (COSME SERENISSIME) & ego florentiſſimæ huic Ciuitati am pliſſimę ditionis Tuæ ſedi gratulor, imò & vniuerſo Terrarum Orbi, cuius ad vltimos vſque fines ſapientiæ, Regiarumq; Virtutum Tuarum fama propagata eſt. Declarant hoc Tua ſtudia, declarat immenſa, & propę incomparabilis Bibliotheca, in qua, tanquam in ditiſſimo ſcientiarum pænu, vaſtiſſimo ſapientiæ Theatro frequentiſſimè de-

le-

lectaris. Huius mihi ſingulari Clementiæ Tuæ fauore cum datum eſſet ſpectare amplitudinem, maieſtatem contemplari, fieri non potuit, quin ad meritam mentis meæ admirationem aliquo qualicumq; modulo propalandam Muſas excitarem: Quod ſane factum videtur, niſi prorſus vt rei excellentia poſtulat, eo ſaltem, quo potuit ſubditus erga Principem [ex cuius ſingulari patrocinio, ſummaq; beneficentia, non modo ſuam, verum etiam ſuę totius Religionis incolumitatem nouit, èxpertus incrementum] ſincero cordis obſequio. Hoc ego Tibi gratiſſimum fore non dubito, vt porè quod Regali è Tuo Muſęo principium agnoſcit, idque proſequitur modulis quod Tibi præ omnibus ſplendidiſſimæ Aulæ Tuæ delicijs iucundiſſimum eſſe neminem latet. Vale incolumis diù ad diuturnam Etruriæ incolumitatem. Florentiæ ex Piorum Academia.

ELEGIA.

IAM ſatis alma tuos mirabar, Etruria, faſtus,
Et mihi iam latijs æmula rebus eras.
Mirabar populos, Regum mirabar, & Aulas,
Et ſacra Medicei Cęſaris ora tui.
Roma vale, dixi, ſunt, & Capitolia Floræ,
Flumina florigeris ſunt Tyberina vadis.
Hic mihi marmoreæ ſurgunt ad ſidera turres,
Hic mihi regali Templa decore nitent.
Hic libet auratis excelſa palatia tectis
Viſere, Magnorum celſa trophæa Ducum:

Spe-

Spectabam longo digniſsima mœnia rerum
Imperio, Domino facta ſuperba ſuo.
Iam rebar penitus vidiſſe quod emicat altis
Sedibus Imperij, Maxime Coſme, Tui.
Sic Regnum Latio Tuſcum, Te Principe, Floram
Romæ, Arnum Tybridi duximus eſſe parem.
Sic mihi promeritas iam tum tribuiſſe videbar
Laudes, Etruſci quas meruere ſinus.
Sed noua materies offert præconia, felix
Tuſcia! Te ſimilem barbara Memphis habet.
Vel tibi Barbarici refluunt lucere decores,
Si quis amor ſophiæ barbarus eſſe poteſt.
En tibi Palladios alter Philadelphus honores
Duplicat; aggeſtis vt nitet Aula Libris?
Vt nitet Heroum Nutrix generoſior Aula,
Regia facta ſacræ Pallados Aula frequens!
Siue huc Heſperium littus, ſiue agmina regnum
Viſere Tyrrhenum lucida mittat Eos.
Vel qui flammatos, habitant ſub Sole penates,
Quiue ſub Arctoo ſidere tecta colunt,
Mediceum mirantur opus, mirantur auitæ
Mempheos Etruſcam ferre trophæa domum.
Scilicet vt micuit Ptolomæia Regia quondam,
Regia Niliacis inclyta facta vadis.
Prouidus, & Reges inter ſapientior omnes
Iſiacam regeret cum Philadelphus humum.

Quod

Quod ſibi regali quæſita Volumina cenſu
Prodigus in magnam iuſſerit ire Domum.
O quales retulit Regis ſapientia laudes!
Quanta Canopæum fama ſubiuit Opus!
Sic Tu, Tyrrhenę cui debita regna Phalanges,
Cui tulerant ſacrâ ſceptra regenda manu.
Maxime doctorum Męcenas, Coſme, *Virorum,*
Qui bene cum forti Pallada Marte geris;
Efficis æternam, quâ fulget Etruria laudem,
Qua Tua perpetuos emicat Aula dies.
Quiſquis enim quē Tuſca trahat ſapientia Florā
Pergat, Mediceos viſat & ipſe Lares.
Viſat, & innumeros miretur in Atria Libros
Illatos, nec non ſentiat vſque geri.
Non tot Pergamea congeſſerat Attalus Aula,
Maximus Aſiacas Attalus inter opes.
Non tot Athenęum graijs oſtendit Athenis,
Cum daret inſignes ora Pelaſga Sophos.
Regia quot referunt Dominæ Penetralia Floræ,
Quot dederunt cenſus; ſplendor Etruſce Tui.
Vt tibi diſpoſitas impleret pagina ſedes,
Striderunt forti Belgica Prælа manu.
Sudauitque Typis Theuton, ſudauit Iberus,
Inque procelloſis Adria diues aquis.
Et penitus noſtro diuiſus ab Orbe Britannus,
Et celer in doctum Gallicus ardor opus.

Vidi

Vidi ego Mediceo non dedignatus honore,
Vidi ego, cum Coſmi *Tecta ſubire datum.*
Vt vidi, vt ſtupui! quamuis ſtupor ipſe receſſit,
Vt memini, Dominum tanta tuliſſe Meum.
Vidi ego, millenas implere Volumina ſedes,
Tota per induſtres aurea facta manus.
Quę loquar euictus? quorſum ſua carmina vertat
Obruta materia noſtra Talia ſua?
Omnia ſunt Faſtis & Magno Principe digna,
Aurea ſeu mediter limina, ſiue Libros.
Fulget vt obryzum ſummis laquearibus aurum,
Murus & auratis fulget Imaginibus:
Vtque auro doctis fulgent armaria chartis,
Vtque aurum culta fronte Volumen habet.
Vt fulgent auro pretioſa ſedilia, Magni
Sic referunt Domini ſymbola nota ſui.
Aſpice, vt inſigni depictus imagine circum
Strenuus Alcides mænia ſumma tenet.
Aſpice, vt ille puer geminos inſurgat in Angues,
Pandat & exigua vulnera vaſta manu.
Aſpice, vt admotis exterminet ignibus Hydram:
Aſpice, vt immani robore cædat Aprum.
Vtq; premat Lybici vaſtiſſima membra Tyranni,
Deq; Gyganthea vindicet Aſtra manu.
Hinc fugat arrepta Stymphalia Monſtra ſagitta,
Tænarium vinclis inſerit inde canem.

Hinc

Hinc premit ignita correptum fauce Leonem:
Strenuus æripidem vincit & inde Feram.
Hinc trahit euinctum Creteo Littore Taurum;
Inde Promotheę ſpicula iactat Aui.
Hinc iacet Heſperidū reuolutus ſanguine ſerpēs,
Inde Oſſea fugit robore victa manus.
Nec deerit Lybicas vbi calcet inultus arenas,
Et ſubeat zonę triſte calentis iter.
Hæc quoq; Mediceos ſignant Emblemata Reges,
Hęc quoque ſunt Domini ſymbola nota ſui.
Aſpice bis denis ornatam poſtibus Aulam,
Pictaque de Carijs marmora ſciſſa iugis.
Marmora fulciri geminatas ordine portas
Edita, Phidiacæ depoliere manus.
Volvere quò meliùs magis alta Volumina poſſis
Altior it mira penſilis arte Via.
Circuit hæc medium directo tramite murum,
Et circum latos porrigit indè locos.
Tota renidenti ſpecioſa refulget in auro,
Pulcra coloratas exhibet illa notas.
Hanc ſuper aſsimilem referunt Armaria formā,
Tota auro rutilant lucida facta ſuo.
Queis neque diſsimilem cernes efferre nitorem.
Illa, ſuperpoſitam quæ ſubiere viam.
Reſpice diſpoſito millenas ordine Thecas
Grata coloratis tecta referre Libris:

Hinc

Hinc procul eſte manus, oculi procul eſte profani,
Non, niſi qui ſapiant, voluere poſſe datum.
Maxima Doctorum ſunt hæ ſacraria ſedes,
Has tantum ingenio ſit patuiſſe ſatis.
Pandere Librorum quicunque cubilia tentas,
Ingenij radijs aureus eſto tui,
Hoc tibi ſignificant, & muta voce repoſcunt,
Aurea, quæ prima retia fronte vides.
Aurea pro tutis hærent in cardine valuis
Retia, Librorum quæ patuere fores.
Nonne vides illum, cuius ſtant retia ſemper
Arbitrio, clauſa hæc, ſeu reſerata velit
Mentis vt excultæ laudatum proferat aurum,
Vt ſit in ingenij qualibet arte potens.
Hunc vbi nouerunt Parnasſia flumina Cycnum,
Norunt Mercurium ſidera nota ſuum.
Seu velit is fando voces adhibere Pelaſgum,
Cum magno faciet Neſtore lingua parem,
Seu velit, & fando voces adhibere Quiritum,
Efficiet magno cum Cicerone parem.
Fingat, & ore notas Celtæ, *ſeu fingat Iberi,*
Is tibi Celta tuas, promet Ibere, tuas.
Quas Arabes priſci docuere, vetuſque Canopus,
Sciuit in immenſa condere mente notas.
Huic animo ſiunt arcana patentia rerum,
Ille Sophos, cunctas nouit, & Hiſtorias.

a Anton. Magliabechi.

Reſ-

Reſpice quos homines Coſmea Volumina poſcant,
Queis ſit Palladias ius aperire fores.
At Tu, Tyrrheni cui magna potentia regni
Exhibet æternum, Cosme *beate, decus;*
Quam bene perpetuæ venari ſæcula famæ
Regali mundum retibus arte doces!
Sordida Vulcani iam ceſſet fabula, ſedes
Inter Mediceas non habet illa locum
Retia non Venerem, ſed amicam Pallada captant
Quæ Tua Librorum fertilis Aula tenet.
Non Tua Parthenij veniunt in retia Cerui,
Nec de Marmaricis torua Leena iugis.
Iis, neque Chaoniæ Volucres hæſere, nec Ales,
Quæ gerit altiſono tela triſulca Deo.
Aſtrea Palladio tenuere Volumina nexu,
Aurum quę toto traxit ab Orbe Tuum.
Nulla dedit Solyme chartis monumēta, Pharoſq;
Inclyta, Cecropiæ nulla dedere manus;
Nulla reliquit Arabs, Babilon, Caldæa, vel Indus,
Et vix a noſtris agnita Regna Sinæ.
Quę modo pergameis rutilantia pellibus hoſpes
Condita non videat retibus eſſe Tuis.
Pandis vbi ipſe plagas venari ſcitus ab Arcto
Belgica Mediceum pagina adauget Opus.
Deque venit rigidis fieri captiua Britannis,
Et de Teutonico prędą ſuperba polo.

At-

Auſonij ſenſere ſinus, iam ſenſit Iberus,
Teque ita venantem Gallica ſenſit Humus.
O quot ab obſcuris erepta Volumina terris,[a]
Aut horum ſolæ quæ peperere manus,
Atque ea, quæ priſca viderunt ſæcula Romæ,
Cum coleret tantos ora latina Sophos.
Præda Tibi læto venerunt inclyta curſu,
Clarius optato carcere nacta decus.
Aſt ego iam victus quanam ratione merentem
Materiem verſu proſequar ipſe meo?
Immenſum numeretur opus: Numerãda Talia,
Si caneres, numeris obruerere tuis.
Sed ne cede tamen; denſas audeto Cohortes
Dicere, ni numerum victa referre potes.
Omnis in illuſtri Virtus Tibi militat Aula,
O magnos, inter Maxime Coſme, Duces.[b]
Fronte Tibi prima referunt Armaria libros,
Queis patet arcani Numen, & Aula Dei.
Aurea turba ſequens Sacrata Volumina pãdit,
Et reſerat[c] *claris abdita ſenſa notis.*
Quæ[d] *propius ſequitur mentẽ ſuper Aſtra vagari,*
Quaq; Deus fiat notior Arte docet.
Quæ[e] *ſubit indè monet doctus qua lege ſacerdos*
Index ad ſacrum Iura Tribunal agat,

a Codices Manuſcr. b Sacræ Script. c Interpretes. d Theol. Schol. e Theol Moral.

Po-

Pone [a] *micant ſacris Decreta parentibus olim*
Iura, quibus ditem calcat inulta fides.
Quæ [b] *propè natura luſtrant arcana, docentq;*
Mores, humanum qua regat Arte genus.
Nõ procul hinc reſidẽt, qui ſęua repellere mortis
Tela [c] *Machaonias edocuere manus.*
Indè [d] *locum leges, & ciuica Iura ſenatus,*
Lucida Iuſtitia tela potentis habent.
Aſt [e] *vbi deſereris, numeras quę ſidera Cæli*
Et maris, immenſas vſq; tumentis, aquas?
Quæ Terras & clauſtra Poli metiris, & altum
Aera, diuinum culta Matheſis, opus?
Hic ò Tyrrhenos inter gratiſſima Reges,
Te magna innumeris excipit Aula Libris.
His te vindicibus ſub Mæcenatibus Orbis
Clarius obſcura ſurgere vidit humo.
Hi tibi quot dederunt culti monumẽta Penates
Semper Palladijs hoſpita tecta Viris!
Tu [f] *quoq; dum folijs gaudes inſcribere Terras*
De Magno Coſmi *Nomine Nomen habes.*
Teque per Iſiacas, Nili ſapientia, Thecis
Non procul [g] *his claram vidimus ire notas.*
Liminis extremi facies obducta coruſcat
Hiſtorijs, [h] *per quas tempora nulla ſilent.*

a Concilia. b Philoſ. c Medicis. d Iuriſper. e Mathemat. f Coſmograph. g Hyerogl. Ægipt. h Hiſtoriæ.

Oc-

Occupat a *indè latus veteris Facundia Romæ,*
Occupat b *eloquium, Græce diſerte tuum,*
Tu, quæ c Mediceos *ad ſidera tollis honores*
Non decus extremum, Muſa Latina, ſubis.
Nectare d *tu Diuum, tu melle ſuauior Hyblæ*
Viſa per Etruſcos ire Thalia, modos.
Arnum quæ Cyrrhæ deſerto flumine, quęque
Prò Pindi Flora Mœnia rupe colis.
Hi tua ſunt Coſmi *regalia tecta Penates,*
Hæc tibi e *ſublimes exhibet Aula moras.*
Præterea, vel quære nouas, vel quære vetuſtas,
Quę dedit ingenua Palladis, aura notas.
Librorum pleno ſuper aggrauat ordine ſedes,
Artis & omne refert aucta Minerua genus.
Quot ſibi captarunt illuſtre Volumina fatum,
Inclyta dum Coſmi *nomina fronte gerunt!*
Quot ſibi Mediceis norunt Heroibus auctum
Nomina principio quę poſuere, decus!
Plurima Virtutes, & regia factà tuorum,
Quę lapſa ornarunt tẽpora Coſme, *ferunt,*
Plurima tum merita ſudant præconia laudis
Dicere, Virtutes vt meruere Tuæ.
Tota ſed exiguas nouit Facundia vires,
Materie doctas exuperante manus.

a Orator. Latini. b Orator. Græci. c Poetæ Latin. d Poetæ Etruſci. e Varij.

Diuitijs ò Macte Animi, ſic atria digna
Efficis Etruſco Principe, digna Deo.
Perge ſequi, quocumq; trahit te gloria, Regum
Clarum Tuſcorum, Maxime Coſme *genus.*
Perge ſequi, videatq; nouos Tyrrhenia faſtus
Mediceam culta Pallade ferre domum.
Sic tibi luceſcat Monumenta per omnia Nomen
Sic tua tam clarum ſceptra perennet Opus.
Sic tibi Neſtoreis famaletur Etruria ſaeclis,
Sic faueant votis Aſtra ſecunda Tuis.
Sic te felicem fauſta cum Prole Parentem
Majorem Magnis Orbis honoret Auis.

IN OBITV SS. CLEMENTIS IX. PONTIF. MAX. LACRYMÆ.

E L E G I A II.

PAlladià, Vates, pracingite tempora lauro,
Dicite & argutis gaudia veſtra notis.
Vos, quiqus è Cælo felicia fata miniſtrant,
Lętificis deceat quod ceciniſſe modis.
Me nunc ſola decet triſti compacta cupreſſu
Teſſera, ferales cogor inire modos.
Id Patris, heù, Sũmi Clementis *fũnera mandãt:*
Funera ſunt luctu commemoranda meo.

Tu-

Tuſcia quem genuit, meruit quem Roma Parentē,
Quem Mundus Dominum geſtijt eſſe ſuum:
Heu Tumulo tegitur! tegitur Clementia: funde
Tuſcia pallentes funeribus violas;
Romaq; quæ ſæuum fouet alto in corde dolorem,
Roma det ex viduis luminibus lacrymas.
Septem nonnè vides, vt collibus inſidet æger
Pallor, & vt Dominum Mænia mæſta gemunt?
Triſti Saxa fremunt, vt curà saucia? Tantus
Tangere nam potuit saxa vel ipſa dolor.
Plus ſolito lutulenta fluit iam Tybridis vnda,
Triſtibus ac tumidus dif fluit Arnus aquis.
Carminibus reſonat mæſtis reuocabilis Echo,
Echo mæroris Nuncia certa mei.
Quam citò truncarunt Vitæ pia ſtamina Parcæ,
Stamina perpetuis euolüenda colis!
Non modò Clementis *turgent Capitolia faſtis;*
Nec modò Clementis *gaudia præbet amor.*
Omnia ſed languent Sancto viduata Magiſtro:
Omnia ſunt gemitus, omnia ſunt lacrymæ.
Iam nimis vt Cęlo liuentia sydera vidi,
Iam nimis extimui certa pericla Patris.
Intonuere Poli funebria; Iupiter ipſe
Fletibus ac terræ iungere viſus aquas.
Heù lacrymis noſtris oriuntur gaudia Thracis!
Heù noſter Thracis gaudia fletus alit!

Funereaſq; Patris cernit dum Roma Cupreſſus,
Victrices Palmas Barbara Terra fouet.
Scilicet (ò fallar) Phœbo fugiente, coruſcat,
Cornibus, & geſtit Noctis amica ſuis.
Ite oculi in lacrymas; fiant duo lumina fontes,
Fletibus his auctus Turgeat Arnus aquis.
Ite oculi in lacrymas lacrymis lenibo dolorem:
Lætitię in męſtis lacrymæ pondus habet.
Oraq; plorantis repleant clamoribus æther:
Exiguà hæc Summi ſigna doloris erunt.

AD REVERENDISS. P.D. THEODORVM Baldini Vallis-Vmbroſæ Abbatem Generalem, pro recepta Cruci affixi Imagine Ioanni Gualberto sui Ordinis Sanctiſs. Inſtitutori quondam caput inclinante, Gratulatio.

ELEGIA III.

Ex antiquiſſimo Templo S. Miniatis in Arce veteri propè Florentiam ſolemni pompa translata fuit Imago iſta in Vrbanum Templum SS. Trinitatis Septimo Kalendas Decembris MDCLXXI.

O Gualbertiadum *Caſtos, pręclare Sacerdos,*
Baldine, *ò Patrij gloria prima Soli.*

Gra-

Gratulor inſignem te iam retuliſſe triumphum;
Gratulor Effigiem te obtinuiſſe Dei.
Indidit illa tuo primordia maxima Regno,
Non leuiter Cuneis viſa, fauere Tuis.
Illa, illa Effigies longo memorabilis Æuo
Prodigijs Diuo prodiga facta Tuo.
Prodiga, namq; Hoſti poterat quam tollere Vitam
Oranti Vitam prodigus ipſe dedit.
Scilicet inueniens quondam cataphractus inermē
Optatam reſerat quà Via nulla fugam.
I ralicet cordi validos reuocauerit ignes,
Et penè in miſerum fixerit arma latus;
Vt vidit ante pedes deiectum iungere palmas,
Audijt & trepido fundere ab ore preces.
Vulnera ſuſpendens cœleſti Numine tactus,
Dicitur in tales verba dediſſe modos:
Nunquid ego orantis fędabo sanguine dextram?
Non ità, ſed nobis ſit potuiſſe ſatis.
Sic ait, ignoſcitq; libens, mentemq; ſerenat,
Tectaq; iam timidum tela pauore leuant.
Hinc dextra exceptum his dictis affatur amicis:
Qui mox hoſtis eras iam mihi amicus eris.
Inde ſuburbano gaudet ſuccedere Templo,
Quo Cruce pendentis fulget Imago Dei.
Hic recolit Chriſtum, Chriſtus veneratur eumdē:
Flectit & ille genu, flectit & iſte Caput.

C 3 *O pal-*

O palma æternis nunquam reticenda triumphis,
Ipſe inclinato quam probat ore Deus!
Vincis Io! Gualberte tuum modo viribus hoſtem,
Et modo ſunt animo parta tropheа tuo.
Te ſuper inuictos celebrent Heroas, iniquam
Qui mentem quieris vincere, Pierides.
Quid tibi deuictos cum iam calcaueris hoſtes,
Et ſignis addas ſigna inimica tuis?
Quid iuuat & totum percurrere Claſſibus Æquor,
Daraq; barbaricis ponere iura plagis?
Quid mille à proprijs pendentes iuſſibus Vrbes,
Mille ſuis Populos cernere, mille Duces?
Si ſcelerata ſui dominatur corde libido,
Si rabidum triſtis pectus Erinnis habet?
Parcere ſi neſcit furiali percitus igne,
Iraq; non digna ſub ditione tenet?
Diſcite Martigenæ, quibus eſt Victoria curæ:
Qui nouit ſe ſe vincere Victor erit.
Victor erit, ſtabileſq; aderunt in fata triumphi;
Omnia cui plaudent ſecula Victor erit:
Nec poterit tantam delere obliuio palmam,
Nec minuet faſtus inuida turba ſuos.
Cumq; ſit orta ſuo Victoria pectore, Belli
Ipſe triumphator, ipſe triumphus erit.

IN

IN BEATAM HVMILIANAM DE CERCHIS

Viduam Florentinam ex Tertio Ordine S. Franciſci.

Inclytis B. Humilianæ Geſtis Authoris ſuſcitatur, dicaturq; Calamus.

ELEGIA IV.

QVæ mihi per longas operoſa negotia curas
Vſque diù ſacros eripuere modos,
Ite procul, liceat tam longa ſilentia Vati
Rumpere: materiem Carminis Aſtra ferũt.
Vtq; per aſſuetas redeant sacra carmina voces
Poſtulet eiectam noſtra Thalia Chelyn;
Suſcitet incomptas & eburno pectine cordas
Reddita Caſtalijs ingenioſa notis.
Vt repetant Muſa neglectum munus, eantq;
Materie verſus vberiore mei,

Imperat vna mihi clara de Gente Virago
Cerchia, *qua gaudent Sidera, Terra colit.*
Noſtraq; quò repetat rediuiui carminis vſum
Pectora, Virtutes exhibet illa ſuas.
Hinc mihi Cyrrhai latices, & amana renidet
Laurus, & hinc genio Muſa petita meo eſt.
Hinc mihi Phabei, ſtimulis agitantibus, ignes,
Ardor & immenſo tendere vela mari.
Cur ego nō auſim? Cęlo properata Camœna eſt,
Dum mihi Virtutes expedit illa ſuas.
Iure tuum nomen Florentia iactet, vt illa
Æmula ſit superis, Humiliana, Choris.
Sidera te gaudent, & te dum florida gaudet
Patria, quo Cœli ſorte fruatur, habet.
Iam te ſumma ferunt inſertam sidera faſtis,
Et Ciuem norunt, Humiliana, ſuam.
Sic tibi promeriti Cœlo geminantur honores,
Patria quo superis amula praſtet idem.
Spiritus egregius dum summo lucet Olympo,
Luminibus iunctum lumen Olympus habet;
Sic quoq; dum Templo, sacraq; coruſcat in Vrna
Corpus, idem confert patria Flora iubar.
O Cœli, patriaq; decus, cui carmina laudum
Debita felici secula mille canent.
O mihi peſcenti fuerit ſi vita superſtes,
Et ſteterit votis Muſa ſecunda meis,

Cum

Cum tua Diuorum fulgentia Nomina faſtis
Inſeret Auſonius ritè colenda Pater.
Cum tibi deuotas Cælo mirabere terras,
Videris & plenas Nominis eſſe tui,
Cum tua per ſacros incedet Imago triumphos,
Cœperit vt laudes Orbis inire tuas.
Cum tibi dalmaticum Templis effulſerit aurũ,
Et pia per multas Ara coruſca faces.
Tunc rediuiua mihi tãdem grauiore cothurno
Heroum Carmen pangere Muſa dabit.
Forſitan & nulli memorem tua facta ſecundus,
Materia verſus exuperante meos.
Meonides acrem bello cum notus Achillem,
Dulichiumq; vagum carmine ferret aquis
Nominis æterni Diuino è carmine lumen,
Dulichiuſq; ſimul cæpit, & Æacides:
At noſtrum ſi quos referet tibi carmẽ honores,
De te diuinos, Humiliana, feret.

In Pauperes profuſa, pietati, charitatique addicta, Coniugis irati sæuitiam constantia ſuperat.

ELEGIA V.

TEnde pias generoſa manus, populiq; frequentis
Ne ſine pauperiem corpora laſſa pati.
Libera pande graue cumulatis frugibus Arcā,
Nec ferat obcluſos fluxa moneta locos;
Ah qualis te cogit amor, pietaſq; videntem,
Dum gemit ad poſtes indiga turba tuos!
Non tibi diuitię carę, non ampla ſupellex
Cura, ſed in vulgum prodiga facta manus.
Prodigis ipſa dapes cœli conuiuia captans,
Fundis opes, fiat quo tibi Chriſtus opes.
Arcam neue ſuam minetur pauper inanem
Pallidus, annonę plena ſit arca tua.
Siuè petant ſauis iactati caſibus aurum,
Solaris miſeras aurea facta manus.
Diſcis vt ipſa penu miſeras excludere pœnas,
Vt tua ſollicitus munera ſentit inops;
Vt tibi per lautas inſtructa cibaria menſas,
Pauperis effuſi dona futura, negas;

Iunit

Iuuit vt aſſiduos operum ſubijſſe labores,
Diuitis vt lucrum Pauperis eſſet opus;
Sic tibi deproperat gratum ſolatia Cœlum,
Sidereaſq; pio fœnore carpis opes.
Sic tibi ſupremæ diſtillant nectare ſedes,
Inclitaq; æternæ dona quietis habes.
Siccine cœleſtes venaris callida merces,
Certandoq; nouis artibus aſtra rapis?
Labentes contemnis opes habitura perennes,
Qui tibi det Cœli mœnia, pauper erit.
Qualia, mutatis inſigni fœnore rebus,
Incrementa refers officioſa tuis!
Diues opum facta es, quales æraria condunt,
Diuinæ Cœlo quæ poſuere manus.
Ignis amor, diuinus amor, quo feta caleſcis
Igne, facit plenam Numinis eſſe ſui.
Dia fides, quæ cuncta regit tibi lumina fundens
Efficit humanis altiùs ire vijs.
Religio, pietaſq; duo fulgentia Mundi
Aſtra, quibus Vitam, Terra, Poluſq; trahunt.
Te præfulgentem reddunt Virtutibus, indè
Redderis æterno fœdere iuncta Deo,
Frugiferos Cenſus, aurata Palatia, quorum
Rebus in humanis ſpiritus hæſit, ament.
Sint tibi templa domus, ſint turba domeſtica diui,
Quos ſibi perpetuos Aula perennis habet.

In-

Incipe diuina terris animarier aura
O ſuper humanas gaudia nacta vices.
Templa frequenter adi pretioſo diues Olympo,
Quidquid opum tua, mens poſſidet, illa petunt.
Hic ea ſuſpirans contorquet ſpicula Amoris
Et celeris Numen pectoris aura ferit.
Hic & anela ſuas imo de corde reuellit,
Emittitq; preces, & pia Vota Deo.
Non tam præpetibus, ſuperat quæ nubila, pennis
Per liquidum velox aera tendit Auis;
Non tam feſtino labuntur flumina curſu
Flumina de ſummis vſq; caduca iugis;
Non tam veloces iaculatur in Aſtra ſagitta
Arcus Achęmeniæ tentus ab arte manus.
Nec tam præcipites emittunt nubila flammas
Æthere turbato dum fera ſæuit hyems.
Quam ſua dilecto properant ſuſpiria Cęlo,
Quam ſua per ſummum vota feruntur iter.
Suſpiciunt rutilas Diuûm tua lumina ſedes
Mentis in excelſas lumina rapta domos.
Illam quò ſtimulat violenti robur Amoris
Poſcit in alta ſuum tendere corpus iter.
Ima, ſed (ah nollet!) retinet ſua pondera tellus,
Et negat in ſuperas artubus ire vias.
Dura mora eſt, validę creſcunt in pectore flāmæ,
Plectit & igne moras irrequietus amor.

Cæ-

Cælicolum pia turba ſacros mirata calores
Quam benè nobiſcum fœmina, dixit, amat!
Nãq; refert in Amore notas: modo feruida vultũ,
Et modo candentes pallida facta genas.
Sæpè vigoris inops labentia membra quieſcit,
Surgit ſæpè redux in ſua membra vigor.
Languida ſępè Deum lacrymis affatur obortis,
Sæpiùs in dulces ignea viſa preces.
Spiritus intùs agit, quùm dio carpitur igni,
Spiritus hoc tantùm lætus ab igne capi.
Impatiens fert ipſe ſuas, ſed linquere flammas
Eſſet in ingenti durus amore dolor.
Pœna petita placet, torqueri gaudet ab illa;
Qua ſine tam dulci viuere poſſe negat.
Viue diù felix, & amatis vrere flammis,
Sit cor eſca tuum, flamma ſit vna Deus.
Hinc tibi terrarum mortalia gaudia ſordent;
Hoc facit oppoſita faſtibus ire via:
Sed tantum ſacris largiri faſtibus aurum,
Quo ſacra diuitijs fulgeat ara tuis,
Poſcentes inopum ditare, nomiſmate cœtus,
Viſere munifica languida membra manu,
Reddere, ſublatis, ſolatia perdita, curis,
Vincere fortunæ corda docere vices.
Iuſtitiæ prauas in ſigna vocare Catheruas,
Inq; triumphatum bella ciere nefas.

Quan-

Quantus amor, tales qui pectore ſuſcitat ignes!
Qualis & accenſam robur ad omne parat!
Quam bene terrarum ſuperant incendia vires,
Haq; micant inter ſidera ſumma faces!
Non his vlla ferent alti diſcrimina fluctus,
Omnia tot flammis æquora nulla forent.
Nec te dimoueant hominum fera iurgia, ceptum
Quo non propoſitum firma ſequare tuum.
Nutriat infelix odium crudele Maritus,
Inq; piam rigida fronte ſeuerus agat,
Regales quod opes, ſed quas dant Numina, queris
Quod nihili terras, Aſtra ſecuta, facis:
Miſceat irato demens conuicia vultu,
Durior audaces excitet ira minas;
Sæuities inculta ruat, qua nobilis inſons
Sentiat immanis dura flagella manus.
Ipſa feres quodcumq; feres, turbabere nunquam
Sæua maritali vulnera paſſa domo.
Reſpicit vt nubes immoto Pyramis altas
Vertice, quam gremio fertile Memphis habet;
Nuda licet rapidi pulſetur ab impete Cauri,
Et grauis oppoſitum verberet vnda latus,
Seu ferat immanem furioſi turbinis iram,
Vel ſonitu circum mota reſultet humus.
Sic tibi ſuſpicitur non flexo lumine Cęlum;
Sic tibi dilecto pectora firma Deo.

Sic

Sic geris infractas inter contraria vires,
Spernis & humanas, Humiliana, vices.
Omnia vincit Amor, figitq; immobile telum,
Quo trahit ad ſuperos pectora fixa locos.
Ergò nec humanis calcatur caſibus ille,
Qui bene, deuicta, ſidera calcat, humo.

Ne Paternæ Domus in Turri ſolá Deo, Virtutiq; vacet, Dæmon inſidias meditatur, & parat.

ELEGIA VI.

DIs iterū monet arma ferox? iterū ne ſuperbus
Erigit à turpi triſtia ſigna fuga?
Ergò ne victricem tentabit Amazona victus,
Et petet hoſtiles, quæ nocuere, manus?
Perfide, conde tuas, quæ pugnauere, Catheruas,
Ne mage præteritas experiare vices.
Occidit extinctus belli temerarius ardor,
Stare nec audebit miles in arma tuus.
Te tamē arma iuuāt, iterū noua caſtra parātur
Atq; nouas Erebi cogis in arma feras.
Signa doli circum cæci glomerantur, & aſtus,
Et fraus inſidijs ingenioſa ſuis.
Et timor infelix, & inextricabilis error,
Rebus & humanis inſidioſus amor.

Et

Et tacita ſtimulis agitantes pectora curæ,
Quidquid & arcana Tartara peſtis habent.
Nunquid ità Infernas Fraudes meditatus, & artem
Fortuna credis dexteriore frui?
Mutata ratione, prior manet alea belli,
Et ſtat in exitium ſors inimica tuum.
Si tibi sacra dolis iterum quæratur Amazon,
Inuenies alios, vt capiare, dolos.
Nouit et illa tuas, pugna quibus vtere, fraudes,
Fraudibus vt fias præda vel ipſe tuis.
Si noua caſtra tibi, noua caſtra locātur, & illi,
Et noua ſunt telis, tela parata nouis.
Prælia ſi tentas, campo dum victus aperto es,
Non niſi per cæcos inſidioſa locos,
Illa tenet ſpeculam technas viſura latentes,
Vt viuat palma ſpecula nulla tibi.
Nequicquam obſcura pugnas indagine quæras,
Dum tua diuinum ſentiat vmbra iubar.
Nonne vides, vt clauſa polos inſpectet apertos,
Et trahat Ætherias ingenioſa faces?
Nonne vides quantum cœleſtibus inſita flāmis
In nigra vibrandum Tartara lumen habet?
Nequicquam cuncta fraudes, inſane, doliq;,
Nouit vbi inſidias alta Virago tuas.
Publica vota fugit ciuilibus abdita curis,
Et facta eſt Vrbi iam peregrina ſuæ.

Ca-

Carum illi penetrale, domuſq; receſſus auitæ,
Et procul à populo cara petita quies.
Nota nec ora placent, neq; turba domeſtica; tantū
Numina ſunt, oculis quæ placuere ſuis.
Ardua Turris erat (ſpatioſa Palatia Turres
Ingenuæ ſignum nobilitatis habent.)
Cerchia *Turris erat ſublimibus ardua tectis,*
Cuius in aſſurgens Aſtra minatur apex.
Hanc ſibi clara Domus medio complexa theatro
Exhibet, & vaſta mole tuetur opus:
Hos igitur ſæuas Erebi cautura procellas
Eligit aerios Humiliana *lares.*
Ac veluti incerti feriunt vbi carbaſa venti,
Eurus, & emotis æquora miſcet aquis
Sedulus arrepto fidens temone Magiſter,
Ictam ne præceps obruat vnda ratem,
Figit in obiectum ſolers modo lumina Cœlum,
Et certum noto ſidere tendit iter;
Figit in inſanos cautus modò lumina fluctus,
Et ratis obiecto pondere ludit aquas.
Alta tenet, ſcopuloſq; fugit, ſyrteſq; latentes
Doctus in æquorea liber adire via.
Sic cauet infernas animoſa Virago procellas
Sidera docta ſequi, ludere cauta dolos.
Sic fugit ad notas ſecura cubilia Turres,
Et tenet immunes alba Columba locos,

D Cum

Cum furit ore minax inopino turbine Cęlum,
Vicinumue rapax aera fendit auis.
Hinc procul inuiſæ fraudes Acherontis, & aſtus
Non premit has Erebi vulgus inane fores.
Quò ruet infelix hoſtili percitus ira,
Fraudibus vt stygijs inuia facta domus?
Ceſſerit anne ferox poſitis inglorius armis,
Ditis & imbellis fœmina vincet Opus?
Siccine qui medijs olim pugnauerit Aſtris
Auſus in æthereos tollere ſigna duces,
Nunc reuocet ſegnes in tartara victa cohortes
Tam citò fœminea victus & ipſe manu?
Non feret hoc patiens elata mente ſuperbus:
Per cæcas iterum diriget arma vias;
Et conſanguineæ tentabit imagine formę
Limina tartareis non adeunda feris.
Iamq; per extremas facienda pericula fraudes;
Arbiter Vmbrarum callidus inquit, erunt;
Et vocat è stygio geminos examine fratres,
(Nil magis infeſtæ Tartara peſtis habent)
Mundi cæcus Amor, Faſtuſq; ſuperbus Auernæ
Quos peperit quondam triſtis Erynnis aqua,
Haud mora. Sunt preſto iuſſi, fidique miniſtri
Lauenteſq; bibunt aure patente ſonos,
His integra feri traduntur pondera belli,
Et datur inuiſis carpere tecta dolis;

For-

Fortiùs infractum Cor eſt precibuſq; , miniſq;
Tentandum: spes hæc vltima reſtat, ait.
Per noſtrum diadema, per infera Regna, per ignes,
Perq; ea, quæ stygium flumina littus habet.
Veſtra ferent ſi forte nouas certamina palmas
Non erit in Regnis carior vmbra meis.
Dixerat, atq; nouas exarſit acerbus in iras,
Et nigra tartareum cogit in antra pecus.
Interea Faſtus vanum comitatus Amorem
Bella ſimul tectis, inſidiaſq; parat.
Ilicet & gemina velantur imagine, vultus,
Hic Patris; extincti Coniugis ille refert.
Indita maieſtas tardo venerabilis ori,
Seraq; canities ſunt in Amore pares.
Mollior in Faſtu vultus, cui fucat amictum
Purpura, cui syrius veſtibus halat odor.
Artibus his clauſos inter fera Monſtra Penates
Viſa; tibi heu fraudes, Humiliana, *caue.*
Vt ſubitò ante oculos hæſere precantis, vterq;
Tænarià motus explicat arte ſuos:
Finguntur lacrymæq; piæ, querulíq; dolores,
Fingitur alterna, ſpeſq;, timorq; vice.
Miſcenturq; oculis iræ, miſcentur amores
His amor ipſe preces indit, & ira minas.
Et nunc alterius vicibus ſe ſe inſerit alter,
Sic amor ipſe minas, ſic habet ira preces.

Mox ſimul alterno coniuncto fœdere, verbis
Miſcet vterq; preces, miſcet vterq; minas.
Illa maritalem cernens in imagine vultum,
Et ſimiles oculos ora, modoſq; Viri:
Miratur, metuitq; dolos & pectore curas
Voluit, & haud tardam ſidera poſcit opem.
Nouit vbi orantem cœli ſacra Numina Faſtus,
Illius in longum non ſinit ire preces.
Coniugis at ſubito ſimulata voce precantes
Edit ab inferna callidus arte notas.
Hiccine te miror, Coniux cariſſima, nobis
Dilecti quondam fœdere iuncta thori?
Siccine ſeruili ſordeſcet imagine Proles
Cerchiadum *claris nobile germen Auis?*
Ergò ſub oſcura retinebere Carceris vmbra
Quam Dominam claræ poſtulat Aula Domus?
Non hoc (crede mihi) natalia ſumma repoſcunt,
Et pius in Patres obſequioſus Amor.
Curre via meliore; Deus, Deus ipſe monentem
Me dedit, à curis ne capiare tuis.
Curre via meliore. Tue quid inutilis Vrbi
Viuis, & ignoto gemma ſepulta ſolo?
Si neſcis, Cœlo virtus operoſa probatur,
Solum illi pretium nobile pendit opus.
Condita ſub modio quid fax? Ni fulſerit alto,
Vel magnum Domui fatale lumen erit.

Enſis

Enſis, vbi intactus vagina fertur inani
Hoſte quid à ſæuo, cur timeatur, habet?
Sidera, Virtutum, quæ te voluere Magiſtram
Sidera, Virtutum prodig[illegible]a tibi,
Quò, quò ſeceſſum patient[illegible] otia vultus,
Queis animi donum fia[illegible] tui?
Cara Deo, toti nec non g[illegible] ma Cælo,
Viſa nec in votis vlt[illegible] ra meis;
Si Cælo potior, fugi ſi [illegible] ra, Coniux,
Iſta tuæ nobis dona dedere preces.
Quamuis erraſſem, tua me præſentia iuuit,
Vitaq; tunc felix vltima cepit iter.
Eheu quot miſeri ſcelerum ſub fluctibus errant
Quos fecit ſocios vita, nefaſq; meos!
Vtq; tuus nobis, ijſdem quoq; proderit ardor,
Torpeat anguſto ni pia flamma loco.
Quantum olim facinus Bethulica cepit Amazon
Ne patrij ferrent vltima fata lares,
Barbara cum ſtarent circum tentoria muros,
Et peteret cunctas vna ruina Domos,
Nonne sacrũ penetrale Domus animoſa reliquit
Propoſitum Vitæ paſſa perire ſuæ?
Quæq; diù mærens humili latuiſſet amictu
Sola ſibi cupiens viuere, ſola Deo
Fit Populo præſens regali ſplendida cultu,
Tuta nec hoſtiles horret adire manus,

Et teneras ornata genas, ornata capillos
Vincit amatorem Fœmina ſola Ducem;
Lætior inde tulit victricia serta, domoſq;
Palma triumphali cingere viſa coma eſt.
An tibi fœminei ſordent exempla triumphi?
Te ne ſequi laudum tam pia facta pudet?
Vt tulit hanc pietas, pietate fereris & ipſa,
Sic eadem capti cauſa futura tui.
Deſere damnatos Cœlo, Terræq; penates,
Desere; quidquid agis Numina nulla probant.
Te reducem videant generoſa Palatia, cultus
Notior in Patria ſplendeat Vrbe tuus:
Murice ſic pietas, oſtroq; induta potenti
Vindicet à stygijs agmina rapta focis.
Hoc ego te lacrymis his, iura per inclyta ſancti
Coniugij, ſi qua lege ferare, precor.
Perq; ſenes, olim qui te genuere, Parentes,
Perq; tuæ fontes Nobilitatis Auos.
Aſpice poſcentis cari Genitoris Amores,
Aſpice quam largis fletibus ora petant.
Hæc eadem diuina iubent te fœdera, Cœlum
Hæc eadem terris iura colenda dedit.
Hæc vbi non trepido Mulier fortiſsima vultu
Audiit, infernos ſenſit adeſſe dolos;
Et; quid me stygia tentatis Imagine, dixit,
O mihi Cimmeriæ Monſtra ſeuera Domus!

Po-

Ponite mendaces, veroſq; reſumite vultus,
Et pateant oculis ora doloſa meis.
Non mihi ſurripient tam cara cubilia fraudes,
Nec veſtris cedet faſtibus iſta quies.
Non ego iam veſtra neglecta fraude, relinquã,
Quæ mihi dant iſtos Numina cara lares.
Sic ait, & ſubito fallens deceſſit imago,
Artubus & nigris priſtina forma redit.
Tunc omnes horrere loci, tremere omnia circũ,
Mœnia concuſſæ viſa labare Domus.
Et mugire ſolum, & crebris vlulatibus altum
Æthera tartareos vſq; referre ſonos.
Nec tamẽ horriferis vnquã perterrita mõſtris
Fortior infernum Cerchia *ridet opus.*
Donec amica manus Cælo delapſa furentes
Fumida Cocyti cogit in antra Feras.
Miraturq; ſacra dias in Amazone vires
Tanta quod inferni fregerit arma Ducis.
Tum probat Angelico victricia laurea cantu,
Atq; refert meritum ſerta beata Caput.

Diui Franciſci Habitu ſuſcepto HVMILIANAM multa patrat miracula.

ELEGIA VII.

FErte triūphales iterū mea carmina lauros,
Iam mihi dicendi nobile creſcit opus.
Cerchiadū *inuictā metuēs in Amazone dextrā*
Ceſſerat Vmbrarum vulgus inerme dolis
Iam Cæli facies, atq; aura ſerenior, illi
Dira nec inferno turbine viſa dies.
Certanti metuenda Animæ tum bella quierunt,
Redditaq; eſt illi pacis amica quies,
Tota Deū ſequitur, neq; turba domeſtica dānat,
Illa ſed eſt votis Aula ſecunda ſuis.
Fertur amica Deo, tenatq; ad ſidera virtus,
Cum ſibi currendi libera facta via eſt.
Qua Duce, terrarum ſordes animoſa Virago
Deſerit, & ſummo tramite calcat iter.
Illi non auro thalami, neq; murice veſtes,
Sedula quas Phrygia dextera pinxit acu,
Mænia non Pario fulgentia Marmore, quondā
Qualia Romana condidit arte labor,
Non quæ per patrios fulgent Aulæa Penates,
Condita nec cenſu diuite Menſa placet.

Iam

Iam parcas Epulas, nullo Penetralia cultu
Quærit, & vſuram ſimplicis illa tori.
Vos patrij cultus, auroq; valete rigentes
Exuuiæ, humana pondus inane via.
Sunt illi cari Cineres, Habituſq; decori
Franciſci *quales Agmina sacra ferunt.*
Sancte Cinis, diuine Color, Veſteſq; timendæ
Diti, Militiæ teſſera sacra piæ;
Quanta sacro Cineri ſubſunt incendia! frigēt
Extera, ſed flammam ſpiritus intus alit.
Ætnæ ſunt iſta vices, vbi littora cana
Obducunt, Cœlo quæ cecidere, niues.
Igne ſed ingenti trepidantia viſcera torrent
Incluſa gremio perpetueq; faces.
Ferto pios Cineres diuino ſeta calore;
Conueniunt flammis Humiliana, *tuis.*
Nec tamen hæ poterunt Habitu latitare fauillę
Quin humili exuuio ſydera ſummi petant,
Quo calcant terra, dio dabis igne calores;
Quo niteant dio lumen & igne dabis;
Siuè ergò niteat, ſeu Numine terra caleſcat,
Luminis, atq; tui dona caloris erunt.
Si primam repetent extincta Cadauera vitam,
Et feret inſolitas mors inimica vices;
Siq; æger gelido languentia membra ſepulcro
Subtrahet, iſta tui dona caloris erunt.

Si

Si poteris caſus animo penetrare futuros,
Et quæ non oculis ſint tibi viſa tuis.
Quæq; vni Superum patuere latentia Regi
Noris, & iſta tua munera lucis erunt.
At cum diuinos renouata ſequetur amores
Tartareas olim Turba ſecuta faces,
Inceſtoſq; ignes, & deteſtabile crimen
Deſeret, iſta tua dona caloris erunt.
Si noua cernendis referet ſua lumina terris
Cæcus, & iſta tua munera lucis erunt.
Languida cũ poterunt febres ſuperare nocẽtes
Corpora, cum poterit carpere claudus iter:
Nullaq; tabificæ vexabunt corpora Peſtes,
Et retrahent vires atra venena ſuas.
Cum laniata ferent, inuita morte, ſalutem
Membra, nec exitio flamma, vel vnda ruet.
Bellua nec dentes animoſa mouebit in altum
Vulnus, & iſta tui dona caloris erunt.
Vel cum ſideream toto iaculabere lucem
Corpore, non ne tua munera lucis erunt?
Vel cum diuinum toto ſpirabis odorem
Corpore, non ne tui dona caloris erunt?
Summe calor, diuine calor, lux aurea, Cœli
Lux, mundo radios, & paritura faces.
Quo te cumq; vocent ſpirantia Numina tantũ
Perge ſequi ſuperas, Humiliana, *vias.*

Per-

Perge ſequi, terræ Columen diceris, & Aſtra
Plaudent inſertam Ciuibus eſſe ſuis.

AD AVERANVM
SEMINETTI
Lepidiſſimum Vatem
ELEGIA VIII.

Hortatur, vt ſe Rure ad Amicos in Vrbem conferat.

Parua licet, rudibuſq; notis incompta, diſertas
Perge in Auerani, *litera noſtra, manus.*
Ille ſuburbani placidiſſima gaudia Ruris,
Tempora tranquilla mente, ſecutus, agit.
Carpe viam, fati nec te vis vlla retardet;
Impiger odit amor tædia ferre moræ.
Ille vel aſtrorum tecto ſpeculator ab alto
Tendat ſublimi noſcere mente vias.
Seu voret ingenio secli monumenta vetuſti,
Parnaſſumue colat, Pierideſque ſuas.
Siue etiam igniuomo grauis ære per auia plumbo
Figat aues, ictas vel premat ille feras.

Siue

Siue etiam medio ſuſpendat retia luco.
(Ocia ſunt claris hæc operoſa viris.)
Intentas operiq; manus, prædæque ſubito,
Grata cades animo præda vel ipſa ſuo.
Vt ſubitò feſtina pij noſceris amoris
Nuntia, quam faciles experiere manus!
Hæc refer: ille tibi famulus, ſeu fidus amicus:
(Authori gratum nomen vtrumq; meo eſt.)
Ille Sigiſmundus patria me mittit ab Vrbe;
Cuius tu nuper faſſus es eſſe memor.
Ergo ne tam longum Florentia noſtra carebit
Flore, diu reditum te remorante tuum?
Ergo ne delicias per auita noualia quærens
Delicias Patriæ vix ſinis eſſe tuæ?
Ergo tibi tantum Zephyri placuere ſereni,
Et nemus, & quidquid ruſtica terra fouet?
Te culti mores ciuiles inter amicos,
Inter & vrbanos non tenuere lares?
Nil tua Muſa quidem, nil nobilis ore venuſtas,
Nil mores rigidæ ruſticitatis habent.
Quid tibi cum duris ò Vir cultiſſime turbis?
Quid tibi cum rudibus nobile Germen agris?
Muſas iam fateor ſeductum quærere Vatem:
Dulcia ſuauiloquens ocia carmen amat:
Cyrrhæi latices, & Caſtalis vnda, nemuſque
Quam benè Pimplei littoris arua tenent!

Cun-

Digitized by Google

Cuncta tumultus agit, nullus ſtat in Vrbe receſſus
Turbat & Aonias turba moleſta Deas. (ræ,
At quid? Ego hæc fateor, ſed ſunt ſua flumina Flo
Sunt latices, quales carmina docta ferant.
Hic vbi dexter adeſt Æui melioris Apollo,
Tange tuam digito dexteriore chelym.
Te ne tumultus aget? tibi fiet in Vrbe receſſus,
Efferet Aonias turba diſerta Deas.
Iam non turbauit curis ſua Roma Maronem,
Sed data carminibus dextera Roma ſuis;
Grataq; Cæſaream ſonuerunt plectra per Aulam,
Aulaq; perpetuum nomen habere dedit.
Sic vbi Pelignus Romana per Atria Vates
Edidit Aonia nobilis arte ſonos;
Quam benè deduxit molles in carmina voces,
Et quot Pieria præmia fronte tulit!
Inde ſed in Getico queritur cecinisſe receſſu,
Et penè Auſonias dedidiciſſe notas.
Heu quãtum amiſſos cum carmine plorat amicos!
Quam dolet infelix Vrbe carere ſua!
Rũpe moras igitur; quid Rure Auerane *moraris?*
Te reducem Patriæ quiſquis amicus auet.
Quis quis Amicus auet, reditu ſolare precantes,
Nec rapiant celeres vota, preceſque Noti.

AD

AD IOSEPHVM

BAPTISTA

CELEBREM VATEM.

Pro ſuis Italicis Voluminibus, quibus titulus

POESIE MELICHE.

ELEGIA IX.

DVlce decus Cyrræ, Vatum ſuauiſſime Ioſeph,
Qui docta lauri præmia fronte geris,
Quem Latius Cygnum, Cygnū miratur Etruſcus,
Gratia quem triplex, Pierideſq; colunt.
Accipe, quæ Tuſco Vates tibi mittit ab Arno
Carmina, & hæc facilis qualiacumq; lege.
Te ſtabilem veneror ſolidæ Virtutis Alumnum,
A fama video quem ſuper Aſtra vehi
Non ita Pellæo Iuueni placuere Camœnæ
Meonijs referunt, quæ fera bella notis;
Vt mihi mellitæ placuerunt carmina linguæ,
Carmina Meonijs anteferenda modis.

Quam

Quam modo Terrarum Domitor ſi viueret Heros
Inſertus cuperet Verſibus ire tuis!
Namq; ea, quæ libeat celebrandis addere cartis
Nomina perpetuò viuere poſſe datur.
Siue ſuperpoſitum luſtret Sol aureus axem,
Seu vaga nocturnus detegat Aſtra Polus:
Verſantur cupida mihi cara volumina dextra;
Quæ generoſa tuæ germina mentis habent.
Nam mihi ſi libeat rigidum ſpectare Catonem
Seù dederint seclis quæ monumenta Sophi.
Seù iuuet armatas animo percurrere turmas,
Figenteſq; fera vulnera ſæua manu:
Et dare promeritum lætis Victoribus Io,
Et canere arguta parta trophæa Chely.
Flebile ſeu cęſis, victiſq; fugacibus Eheu:
Dulce tuum docto Carmine præſtat Opus:
Seù bona deductum redimentis, & otia vitę
Noſcere tranquillos otia nacta dies.
Mente vel intacta populares temnere faſtus,
Et quicquid miseræ Curia ſortis habet:
Vel mihi præteritæ damnoſa piacula vitæ
Perquiram lacrymis tergere poſſe meis.
Seù canere æthereas inter Pęana choræas,
Et dare dilecto carmina sacra Deo.
Omnia dulciloquis præſtas Baptiſta Camęnis:
Tam benè vix poſſet docta Paleſtra dare.

Quam

Quam ſapis ò Vates:tam ſanctè carmina tractas
Vt canere edoceas quà ratione decet.
Non tibi laſciui vitiarunt carmen Amores,
Nulla venenato carmine tela iacis.
Cuncta ſed Aonidum niueo condigna pudore
Non obſcura tua ſymbola mentis habent.

PRO

Digitized by Google

PRO
BIBLIOTHECA MEDICEA
AD
COSMVM TERTIVM
SERENISS., ET CLEMENTISS. ETRVRIÆ MAGNVM DVCEM SEXTVM.

Licèt aſſiduis Literariæ Paleſtræ curis implicitus, Principis ſui laudibus ſe pro viribus elaboraturum.

Horat. Epod. Ode viii.

ODE I.

L*Audare longo* Coſme *Libros Carmine*
Vires quid eneruet meas?
Cum ſit mihi mens languida, & Phœbus modos
Laudi miniſtret impares,
Turbetque Carmen edocenda iugiter
Pubes, ut Africus Mare,

E *Quę*

Quæ vel Latini noſſe leges Eloquj
Quærit, Sophorum aut Dogmata.
Sed incitat mi pectus, & Chelim mouet
(Horis licet negantibus,)
Amorque Principis, decuſque Tuſciæ
Inſigne faſtis additum.
Eſto beatus, COSME, Fama nominis
Laudes perennet inclyti;
Nec ſit Coronis qui beatioribus
Onuſtus incedat Tuis.
Illiteratos edocebis Principes
Doctrina, quàm ſceptrum decet.
Quid? ergà ſeris deſtinatum ſeculis
Clarum ſilebo Te iubar?
Vitę ſuperſtes dum manebo, laudibus
Mihi allaborandum eſt Tuis.

Sapientià, quam Armis pereniorem COSMVM Famam ſuam eſſe redditurum.

O D E I I.

S*Eruate Cælo nobilis Imperj*
Regnator, ardens & ſapientię
Cuſtos, Etruſci cuius Orbis

Rè-

Regna ſupercilio mouentur.
Regnare grata ſorte beatius
Te vis diſerti ſuſtulit ingenj,
Quam ſi feroces in Britannos
Imperium, Pharetraque Medos
Picta decoros, extuleris ſoli
Latè Tyrannus; fortiter occupas
Laborioſæ tuta famę
Caſtra Voluminibus. Quid audax
Vrbes Eoas ſubdere pertinax
Nudarit acri milite Græciam,
Gangemque, Nilumque, & ſuperbas
Aſſyriæ Babilonis Arces
Vexarit atris non ſine cædibus
Mauortiorum Dux Macedum; ſinus
Quid ditis Auroræ nitentes
Sanguineo vitiarit amne?
Mortale tandem vulgus abhorruit
Commune monſtrum Martis, & inclytum
Infecit armorum decoras
Sęuities odioſa laudes.
Tandem ſuperbæ tela ferociæ
Obiecta, dulci vulnera gloriæ
Et ſudor immenſus trophęis
Obſtitit, imperioque fatum.
Non ſic feroci militia decus

Venaris altum, COSME, ſed addita
Trophaa librorum reportant
Mediceum ſuper Aſtra Nomen.
Virtus taceri neſcia te ſuis
Amica faſtis inſeret, otio
Regum coronis inuidendo
Dum famulas moderaris Vrbes.

COSMI geſta, quod ſapientiæ hæreant, fore perpetua.

Horat. lib. II. Ode xiv.

ODE III.

EHeù ſuperbis molibus inclyta
Labuntur Vrbes, nec ſpecies moram
Fato, vetuſtatique edaci
Attulit, indomitoque marti.
Non ſi trecenis quotquot habes loca
Ornes trophais, illacrymabile
Fatum retardabis, ter ampli
Victima nil miſerantis aui.
Cadent labores; COSME, ſit omnibus,
Quis bruta tellus emicat, exitus
Communis idem, ſiuè Reges,
Siuè inopes habitent Coloni.
Fruſtrà relicti larga peculij

Dita-

Ditauit altis patria molibus
Sepulcra Memphis, quò labores
Aſſidui Babylonis? Ætas
Quo longa magnum proruit Ilion
Portuſque auita Cecropis, & domos
Pæno laboratas potenti?
Nec gemino ſinuoſa Cenchris
Ponto, nec altis manibus ardua
Thebe, minantes nec Salomonia
Delubra vitarunt ruinas:
Nec Triuiæ ſacra tecta diuæ.
Nil præter alta rudera machinæ
Semeſa priſca, ſigna ſuperbiæ
Liquère, vaſto quin & orbi
Roma potens dominata quondam.
Quærit latina reliquias ſuæ
Tellure ſummæ certa potentiæ
Veſtigia; eheu ſors in omnes
Terrigenum furiata faſtus!
Te, COSME, ſolum vis ſapientiæ
Tollit ruentem ſpernere dexteram
Fati, nec inſtantes ruinas
Mediceæ patientur Aulæ.
Iniurioſo fama ſuperſtites
Seruabit aui dente, vel horrido
Parcent furori bella, parcent

Mediceos venerata libros.

Illuſtre libris viuit adhùc genus
Fama Quirini, viuit ab Inacho
Regnata priſco gens, auiti
Imperium, validaque Cyri
Vrbes; & oras ſiqua per vltimas
Fortuna luſit fronte ſerenior,
Innixitque victrices cateruas
Sideribus; monumenta palmas
Diſerta longi viuere ſeculis,
Seriſque notas ire nepotibus
Iuſſere, quamuis ſors triumphos
Abſtulerit fugitiua partos.
Benè ominatam, COSME ruentibus
Opponis annis ægida Palladis,
Ne quid Typhœus contra edacis
Temporis, Enceladuſue poſſit.
Te docta Cœlo tollet Etruria
Tuo renidens Imperio, potens
Te Roma, cognatique Reges;
Te populi, Procerumque cœtus.
Spectabit hæres Atria Regius
Ditata centum faſtibus, & manu
Opus volutabit ſuperbum,
COSME, tuas renouante laudes.

AD

AD SAPIENTIAM
In COSMI Regiam ſplendidiſſimè receptam Gratulatio.

ODE IV.

MEntis humanæ generoſa cuſtos
Diua Terrarum, iubar ò ſerenum,
Quæ Dei iuſſa tibi deſtinatum
Dirigis orbem.
Siuè te puri ſuper Aſtra Cœli
Lucida Diuum tenuere ſedes,
Siuè te quacumque iacentis olim
Littora mundi.
Inter æternas operoſa curas
Rebus humanis, ſuperiſque pulcrum
Lumen, & famæ decus addidiſſe
Diceris altum.
Splendidè terris modo promicanti
Reddis Etruſci dominantis Aulæ
Laudis immenſum decus, & merenti
Lumina COSMO.
Ille te dignas habitare ſedes
Iuſſit accitam ſatis hoſpes alti
Prodigus tecti; ſatis apparati

Prodigus auri.

Subter auratum penetrale fulgens
Per laboratos ſpatiare faſtos
Mille per rerum monumenta COSMI
Nata trophæis.

Parce Athenæis doluiſſe gratis
Sorte ſublatis rapida, tuique
Mitte Mæcenatis opes, diſertique
Atria Nili.

Parce iam tandem lacrymis auiti
Attali doctum memorare cultum,
Parce; prò cunctis tibi COSMVS vnà
Sufficit Aulà.

IN B. BERNARDVM

PTOLOMEVM SENENSEM

MONASTICI ORDINIS MONTIS OLIVETI FVNDATOREM.

Diuino inflammatus amore, relictis omnibus, ſeſe in Acconis Montis ſolitudinem recipit.

O D E V.

OLor ſupremi Numinis inditos
Expertus ignes impatiens moræ
Domos auitas, & paterni
Diuitias, PTOLOMÆE, Cenſus
Liquiſti acuti fulminis ocyor
Curſu, nec altæ mænia Patriæ,
Luxuſue, ſplendidiue Ciues,
Vlla nec illecebris volantem
Morata Siren, quin humilis ſoli
Faſtidioſus panderis altiùs
Alas apertum cogniturus
Intuitu propiore Cœlum.

Accon

Accon Olympo vertice proximus
Diæ ſequacem pacis, vt hoſpitem
Sinu recepit Te niuali,
Cum Titulo variauit Omen.
Hic nam recenti ſorte beatior
Dumos Oliuis vſque virentibus,
Ruboſque mutauit decoris
Floribus, horriferaſque brumas
Auris ameno vere tepentibus;
Queis antè syluis infremuit Leo
Terror Colonùm, dulciori
Voce sacri sonuere Cycni.

Religioſorum Cętum à ſe inſtitutum inuicta animi virtute BERNARDVS tuetur, & promouet.

ODE VI.

FÆcunde ſacræ lucis, & inclytæ
Virtutis Heros; vt niueo ſolum
Candore ſignaſti futuro
Perpetuæ monimentum, & ingens
Tuæ Trophæum laudis! adoream
Æuo nepotum pandet amabilem,
Araſque ſacrabit coruſco

Re-

Religio decorata Peplo.
Hæc te Parentem nouit, & arduis
Illuſtre rebus præſidium recens
Exorta, quo robuſtiores
Temporibus ſibi nacta vires,
Quàm ſæpè mundi dira proteruia
Minata ſacros perdere Milites,
Belloque, funeſtaque cæde
Lædere vel minimum valeret.
Hæc nempe cunctis oppoſitum minis,
Auſiſq; pectus ſenſit aheneum
Tibi eſſe non cedens, vt inter
Præcipites Adamas ſagittas.
Secura tanto robore, & auctior
Cohors nitenti canduit Agmine,
Orbemq; colluſtrauit hæres
Digna Tuæ, PTOLOMÆE, laudis:
Hærens id Aſtris ſcala micantibus,
Et candidatis Aſtra petentibus,
Referta promiſit, nouumq;
Auſpicijs animauit Agmen.
Hinc te Tonantis Mater amoribus
Amplexa caſtis ferre dedit ſacrum
Inſigne, ſanctumq; indicantes
Exuuias animi nitorem.

Cor-

Corpus ſuum, licet innocentiæ receptaculum, varijs pœnis BERNARDVS exagitat.

ODE VII.

LVci ſiderea ſemper idoneus
Vixti tartarea nec patiens lue
Fædari miſeræ monſtra cupidinis,
Surgentiſq; proteruiæ
Cœpiſti teneris acer ab vngulis,
Cocytiq; dolos ludere pertinax;
Portaſti ſuperæ legis & horridos
Vmbrarum in Cuneos iubar,
BERNARDE; ah! lacrymis ora quid inficis,
Pallentiq; genas attenuas fame?
Vltrò quid rigidis membra laboribus
Menti ſubdita deſtinas?
Horrens quid Cilicum veſtis, & aſperi
Sentes ingenuum corpus, & hiſpida
Quid ſignant ſtimulis lora nocentibus
Artus immeritos pati?
Nequicquam domitis ſenſibus arduum
Obſtentas animum. Quid labor improbus
In victos? rigidam mitte ferociam,

Pa-

Pacem ſupplicibus modis
Dum poſcunt humiles, ſe famularier
Firmo polliciti fœdere? ſentiant
Implacata ſtyges bella ſuperbiam
Liquiſſe haud dociles feram.

In Cœlum ſemper intentus inuictum BERNARDVS ab Oratione ſpiritum non relaxat.

ODE VIII.

NVlla Te rerum ſpecies, Auerni
Nullus irati furor inquietus,
Nullus humanæ feritatis audax
Dimouet ardor,
Quò minus forti ſuper Aſtra mente
Inter æternas ſpatieris Aulas
Mente, quam diuina manus ſagittis
Icit amoris.
Teſtis Etruſcus tibi clamat Accon,
Teſtis & cæcis oculatus antris
Cætus oranti comes, & ſuprema
Caſtra ſecutus.
Sacra quot Cœlum properare in altum
Vota; deductas quot abire noctes

Vidit

Vidit inſomnes, vbi, destituto
Corpore fines
Spiritus Diuûm legeret ſerenos
Indè deſertos rediturus artus?
Tæduit vitæ quoties, vt ipſum
Numen amatum
Viſeret! Diuæ PTOLOMÆE, flammæ
Hoſpes, vt Cœlum properes, rubentem
Non, vt Elias, cupias Curulem,
Mens Tibi Currus.

Semper, ingentibus etiam periculis aduerſantibus, BERNARDVS obediendo paratiſſimus.

ODE IX.

NOn Te dura neceſſitas
Nolentem rigida lege coegerat
Immutare mapalibus
Regales & opes, & laquearia
Auro condita nobili,
Et iam diuitibus rura parentibus
Aſſeruata ſuperſtiti:
Iuſti ſed memor, & propoſiti tenax
Cœli iuſſa faceſſere

Per-

Pergis dumiferi nil timidus iugi,
Syluarumq; ſonantium
Ventis, & validi fulminis ictibus.
Qualis de Patria ſinu
Fugit Thariades Iſacidum Pater,
Sectatus pede libero
Terras arbitrio Numinis, abditus
Mundo, ſideribus patens.
Te non vſq; via dura pericula,
Irarumq; minantium
Vinxerunt, celeri quin peteres gradu
Sacros Pontificum lares
Vltrà nubiferum culmina montium
Summi iuſſa Vicarij
Excepturus, amor ſeù ferat, arduis
Pœniſue ira nocentior,
Quò te cumq; ferant Numina, nil necem
Formidas, neq; compedes
Parendo immeritos ire paratior
Caſus, quam Capitolia
Si victor merito ſerta virentia
Laudatus capiti gerens
Quadriga premeres vectus in aurea.

Pro

Digitized by Google

Prò Senenſibus Peſte laborantibus BERNARDI ſedula Charitas.

O D E X.

TE non inani flamma potentior
Diuina carpſit ui, ſed amabili
Calore pectus vſſit hoſpes
Auxilijs operoſa, vulgus
Latè ruinas inter, & horrida
Pericla ſauas dum illacrimabilis
Lethi reformidat ſecures
Virgineam populantis Vrbem.
Lues atroci dum quateret manu
Flagella, cunctos exitiabili
Tabo ſub extremam trahebat
Perniciem; fugientis vllam
Fruſtra dolendo clamat opem manus;
Nequicquam anhela voce pauentium
Suſpirat acceſſum Caterua
Triſte nimis ſubitura fatum.
Fruſtrà medelam languidus vltimam
Modo precatur spiritus anxio,
Sacris nec indulgente myſta,
Prò ſuperis animatur Aſtris.

Tu

Tu ſolus Arcem Pectoris aſperis,
BERNARDE, fatis obÿcis, aut tuis
Vitam daturus, vndecumque Cælum,
Seù rigidam ſubiturus Vrnam.

IOANNIS FRANCISCI

RICASOLI

MAIORVM INSIGNIVM EQVITIS HIEROSOLYMITANI

Obitum Florentia deflet.

ODE XI.

E*Heù! caſſus amabili*
Vita ſub tumulo, magne Ricaſole,
Inuiſo Patria iaces.
Carus iam patrÿs vſq; penatibus
Vixti. Quid cineres tua
Flora, quos peteret lege, negaueris?
Forti ſat Melita datum
Pectus grande Tibi fortiter omnibus
Obiectare periculis,
Fortunaq; minas temnere pertinax.

F Fe-

Felix Inſula Barbaras
Ne ferret miſero funere dexteras,
Buſto quid quoque fulgeat
Plus ornata tuo? Sapè Cohortibus
Albente Cruce fulgidis
Stipatum tumido nouit in æquore,
Terris, aut Mareoticis,
Vel quà Maurus atrox imperat Vrbibus
In deuicta potentiùs
Graſſari meritis agmina cædibus,
Vlciſciq; proteruiam.
Quin experta feram Creta Tyrannidem
Inſultus Othomannicos,
Te pugnante, diù diſpulit, impetus
Dira nec timuit manus.
Vexatuſne tuis ſapè laboribus
Ridebit modò Tracius,
Quod Te barbaricis fata locis grauem
Non liquere ſuperſtitem?
Sed Te mortifera cædis, & inclytum
Belli mox timeat Ducem,
Pugnantiſq; vices excipient tuis
Propugnacula ſumptibus
Nuper belligero condita littore.
Vel poſt fata potentior
Impones tumidæ fræna ſuperbiæ.

RI-

RICASOLVS,

Conditis Melitę Propugnaculis, etiam poſt mortem barbaris formidandus.

ODE XII.

O Nate sacrà fortis acinace
Latè ruentes cadere barbaros;
Thracaſq; pradatoſq; Mauros,
Et Lybiæ ſatis vſque noſtro.
Baccata Ponto vela potentiùs
Quaſſare crebro Marte quid vltima
Paſſus ſeueri iura fati
Eſſe tuos animoſus inter
Nobis dolendà finieris vice?
Ergò Propontis læta (neceſſitas
Heù dura!) ridebit, nec vltrà
Luna ferox trepidabit? Hoſti
Franciſce, diro Te tamen horridum
Poſt fata reddit, Teq; ſuperſtitem
Bello reformidat, trucemq;
Aggeribus premis excitatis.

Victorijs de Sacra Militia plenus RICASOLVS cœleſtes (vt fas credere) triumphos adit.

ODE XIII.

Qvid ò querenti funera ſoluimus
Luctu cientes illacrymabile
Fatum? Quid inuſum colores
Ad Tumulum properamus atros?
Te, Te nitenti digna, RICASOLE,
Aulaa cultu, quem toties pio
Sub Marte mirata Phalanges
Barbarico madidum cruore.
Te ſæpe felix Inſula Tracijs
Signis onuſtum vidit, & hoſticas
Claſſes, & euictas cateruas
Odryſias Pelago trahentem.
Mox inuidenda plenus adorea
Tuiq; victor, victor & hoſtium
Cælo triumphaturus alto
Sorte Solum potiore linquis.

Obijt

Obijt RICASOLVS æternum Famà victurus.

ODE XIV.

NEquicquam adunca falce ferocior
Graſſaris, o Mors, exitiabiles
Ictus, & immanes ruinas,
Et rapidas mediata cædes
Contrà beatæ Militiæ ſacros
Heroas. Æuum ducet in vltimum
Nomen RICASOLVS perennes
Cum niuea Cruce viuet annos
Virtus taceri neſcia ſiderum
Suprà nitentum culmina deferet
Partos honores. O triumpho
Nobilis æthereo! Vagantem
Spectaris alto lætus ab Æthere
Famam profuſa laude ſuperſtitem
Franciſce, dudum fæneratus
Funere, nobilior Sepulcro.

Digitized by Google

Cumulatum Virtutibus inter ſuos Cœlo receptum RICASOLVM facilè credimus.

ODE XV.

Regnabis alto ſidere clarior
Deducte terris, addite ſiderum,
FRANCISCE, regnis inter aulas
Indigetum rediuiuus, Aſtra
Supra volantem Te pietas ſinu
Dignata caſto candor amabilis,
Fideſq; Virtutumq; Princeps
Diuus amor, totieſq; bello
Seruata duris inclyta caſibus
Recepit inter Relligio ſacros
Heroas admiſſum perenne
Sidereas habitare ſedes
Hoc remur actis promeritum Tuis
Ciues amico debita nomini
Damus, nec ingrato ſupremos
Detrahimus cineri triumphos.

IN

IN FERDINANDVM COSPIVM

PATRITIVM, ET SENATOREM Bononienſem, Petrioli Marchionem, in Sacra Diui Stephani Militia Commendatorem, Aretijque Baliuum.

Muſęum ab eo conſtructum magnæ pręſe... Mentis indicium ferre...

ODE XVI.

FAmoſe cultor nobilis Ingenj,
Decus diſertæ, COSPE, Bononiæ,
Cui ſors merenti deſtinatas
Impoſuit capiti coronas;
Seù Te decoro nobilitas ſinu,
Seù doctiorum Calliope Choris,
Seù nutrit inſignem beata
Mercurialis amor Palæſtra:
Seù Te vel Aſtris efferat inclytum
Illuſtriorum Progenies Auùm,
O qualis aſſurgis, Tuarum

Materies operoſa laudum?
Inter Dynaſtas Felſina Patrios
Negotioſis Faſcibus inſerit,
Tuoquè vibrandas ſecures
Arbitrio, generoſiorem
Experta mentem, tradit, & arduum
Vulgus ſacratis ſubdere legibus
Te mandat, vt Iuſti tenacem
Propoſiti, ſcelerumque vires
Iniurioſas indocilem pati;
Quem ſæpè Virtus inter amabiles
Mirata Ciues, traxit alta
Mente graues agitare curas.
Hinc grande Nomen fama per Italas
Euexit Vrbes; hinc vt honoribus
Eas Etruſcorum per alti
Diuitias Animi beatus.
Hinc & ſalubri conſilio potens
Te tolle amico fœdere Porſenæ
Aduſquè Tyrrhenos auiti
Imperij Dominos, & inter
Heroas Arni Flora venuſtior
Æquata dulci ſorte Bononiæ
Te fronte feſtiua ſequatur
Purpurea Cruce Candidatum.
I nunc vetuſto major Auo Nepos,

Tro-

Trophaa claris adde Penatibus;
Vel purpuratis appetenda
Regibus, atquè animo refertus
Sublimiori, digna canentibus
Paana Muſis altiſonum locas
Muſaa: quid plus allaboret
Ingenuæ tua cura mentis?
Qui gurges, aut quæ flumina, vel ſolum
Non COSPIANIS debitor Atrijs,
Artiſue, Naturæue niſus
Inſolitos properauit? Imò
Qua mira narunt æquora, fluctibus
Dudum profundis hoſpita? qua ſinu
Telluris hæſerunt opaco
Diuitibus ſociata glebis
Metalla? lucis quod fuit exteris,
Seù per canorum viſcera montium,
Lignumue, lucidumue marmor
Cum nitidis radiante gemmis
Colore? quod non indè popoſcerit
In Tecta ferri COSPIA, & inclyta
MVSÆA FERNANDI laturum
Perpetua monumenta laudis?
Quaſitor illi fluctibus arduis,
Vltrà ſonantem Nauita Boſphorum,
Vltràquè Calpen excitato

Remigio ſuperauit vndas;
Diteſque magna Tethyos inſulas
Mercator audax circuit, & freti
Luſtrator Eoi feraces
Memnonidum populauit oras.
Ægyptus illi, diues & India,
Arabaſquè cuncta non ſine Perſide,
Et Medus, extremiquè Sinæ,
Et refugi pretioſa Seres
Miſere. Dulci tangere barbiton
Plectro ſuetus, quid reſides mora,
LEGATE, facundum ſuadæ
Lumen, Apollineaquè, Cyrrhæ?
Demitte lingua frana licentiùs
Exuberanti, pangat vt aurea
MVSÆA; cum vaſta ruentes
Materie ſuperabit annos.
Sepulchra nota barbara Memphcos,
Vel æſtuoſi littoris horridus
Ceù pontus obluctans arena
Fœmineum mihi ceſſit olim
Furua lacertum pellis, & aridum:
Hunc mitto; Nigris hiſce coloribus
Verentis, ò FERNANDE, noſtri
Accipias animi nitores.

IN

IO: PAVLO BIMBACCI
VALLIS VMBROSÆ MONACHO
Theologali Laurea decorando.

ODE XVII.

Mitte iam clarum generis vetuſti
Stemma faſtoſa referare laudi
Mitte, non auro ſpecioſus inter
Aſtra Cometes.
Ornet affixam ſuper aſtra mentem
Numen obtutu docilem ſereno
Noſſe, Diuorum Penetrale ſumma
Luce tueri;
Altius Cælo tibi fulget Aſtrum
Ingenj primum iubar, & merenti
Clarius, quam, qua tibi cingit altam
Laurea frontem.
Fata mens Cælo, rutilantis inſtar
Solis, ardentes iaculatur ignes
Hoſtis vmbrarum granis, & decora
Hoſpita lucis.
Illa ſublimi ſpatiata Cælo,

Do-

Docte BIMBACCI, calet inter ignes
Alta Diuinos, fruiturque toto
Plena Tonante.
Vndè manarit, redit illa, magno
Riuulus iungi Pelago laborans,
Indè supremos ſaturatur inter
Incola Diuos.
Splendidè tanta modo gloriare
Lucę Gualberti decus o Clientùm,
Serta quæſiti tibi deſtinarunt
Laurea Cœli.

MARIAE VIRGINIS

PRÆSIDIO FVLTVS AVTHOR NIL TIMET.

ODE XVIII.

VIrgo superni Regia cardinis
Decus labentis præſidium soli,
Cuius reformidant Auernus
Imperium, tumidiq; Manes.
Seu metuendos Thetios inſolens
Pergam remotę viſere terminos
Inhoſpitalis per remotas

Siuè

Siuè plagas agitabor Orbis.
Quemcumq; diuas auxilio manus,
Tuaq; nactus iura potentia
Viator auſpicabor audax
Non obeundum Homini laborem.
Inſuetus altum Nerea verrere
Tendam feroci carbaſa Bosphoro,
Syrteſq;, Sicaniq; Monſtra
Littoris, Oceanumq; magnum
Luſtrabo tutus, nec Naſamonium
Vulgus, carinis incola naufragis
Formidoloſus, nec frementum
Vndiſonę ſcopulum ruina
Curſum retardent: en irruam
Quà Trax furenti ſæuit acinace
Quaſſante Gradiuo ſecures,
Nec Scythicos metuam tumultus.
Vtcumq; ſeptem ferre Trionis, &
Arcti pruinas cogar, vbi diem
Surgentem Eois vix tuetur
Incola noctiuagus quadrigis.
Seù quà sub afris ſæua caloribus
Leęna crebro ſpirat anhelitu,
Vſtaq; deferuent arenę,
Aeria trepidantq; Flammæ.
Non rumpet arcem pectoris horrifer

Tuo

Tuo potentem prȩſidio timor;
Quin, Te patrocinante, Fati
Impauidus gladios retundam.

NERIVS CORSINI

ARCHIEPISC. DAMIATENSIS

Eligitur, & Apoſtolicus Nuncius in Galliam deſtinatur, ac deindè S.R.E. Cardinalis ab Alexandro VII. Pont.Max. Creatur.

ODE XIX.

TE ſumma claris deſtinat Infulis
Fulgere ſolo neſcia nomine
Virtus, & inſignes merenti
Ingenium ſapiens honores
Parant, latinȩ ſplendor adorea
NERI, refulgens & Patriȩ iubar
Florentis, ò quam Te potentem
Conſilij, Fideiq; nouit,
Nouit gerendis rebus idoneus
Pater Quirini Maximus Imperj,
Quem iuuit altas Galliarum
Te ſuper impoſuiſſe Curas.

Non

Non illa Moles terruit ardua
Rerum, caducis ſed ſapientiam
Parem regendis vſque Terris
Conſiliis Animi paratas.
Sed Te Quirinus, Te Capitolium
Abeſſe longa non patiens mora
Ad Vaticani Te labores,
Et meritum reuocauit Oſtrum.

Idem Eminentiſs. NERIVS Aretij Epiſcopatum renunciat.

ODE XX.

NOn Te coruſcis gemma nitoribus,
Aurumue ſacrum nobilis Infulæ
Deflegit infractum, nec auræ
Imperium popularis hauſit
Pectus doloſæ, cedere neſcium,
Et blandienti ſæpè cupidini
(Teſtantur Aretj Phalanges
Tempore proh! nimium fugaci
Nactæ Pareutem gentis amabilem,
Ducemq; ſacris) verum Animi potens
Et munus, & dios honores,
Quemq; Tibi dedit Aula cenſum,
CORSINE linquis; linquis, vt ardua
Petas volatu Sidera libero, *Tel-*

Telluſq; miretur ſupremis
Diuitiis operoſiorem.
Sic robur alta mentis inhoſpita
Humo vel ipſis cedit honoribus
Quæ in Aſtra fixit excitata
Ad ſuperas pia Vota curas.

CAROLO FRANCISCO

AIROLDO

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS.
Comiti Leuci, Dynaſtæ Toparchiarum Bellagij, Abbati, & Perpetuo Commendatario Abbatiarum S. Abundij Cremonę, & SS. Petri, & Pauli de Vico Boldon, Sanctiſs. D. N. Papæ Clementis X. Prælato Domeſtico Aſſiſtenti, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopo Edeſſæ, eiuſdemq; S. Sedis apud Sereniſs. Magnum Etruriæ Ducem cum Poteſtate Legati de Latere Nuncio

Philoſophica Aſſerta dicantur.

ODE XXI.

Heros, auitum cui Genus inclyta
Virtus coruſcis auxit honoribus,

De-

Deditq; ſacris cum Coronis
Implicitas, AIROLDE, Vittas
Tractare ſacri protinùs Imperj
Faſces ſecundo tranſtulit omine,
Fideſq;, Iuſtumq;, & Latini
Relligio veneranda Patris,
Nouit profunda mentis vt hoſpitam
Vim, Teq; Regnis nouit idoneum
Manu tuendis Dædalea,
Et Populis ope temperandis
Virtutis altæ. Iupiter aurei
Ter Vaticani Summus Etruriæ
Priſcis ſacrorum Te Magiſtræ
Iurè ſacris dedit aſſerendæ.
Te iurè Magni Regia Porſenæ
Beata COSMO Regia Principe
Mirata Regales honores
Corporis, ingenuaq; mentis,
Tua recepit non ſine gloria
Cæli volantem iuſſa faceſſere,
Te ſpontè cum ceſſit roganti
Eridanus ſocialis Arno,
Potens Sacrorum Præſul, & Ingenj,
Iam noſtra Te Te mitte ſuperbiant
Aſſerta, quę tuis receptis
Nominibus, Tituliſq; gaudent.

G Sic

Sic nota Virtus prouehat altiùs,
Sic Te merentem Purpura veſtiat,
Frontiq; non deſint honores,
Quos animi meruere dotes.

AD B. V. MARIAM

VT MARGARITAM ROSALINDAM COCCAPANI Montis Carmeli Monialem ab ægritudine ſoluat.

ODE XXII.

Virgo, Cæleſtes Dominam Phalanges
Quem colunt, noſtræ Columen ſalutis,
Cuius ad nutum Genitus libenter
Cuncta gubernat.
O ROSALINDA lubeat precamur
Imminens lethum remouere. Noſti
Quamdiù ſæuos patiatur æquâ
Mente dolores.
Gaudiis Mundi ex animo relictis
Læta Carmeli ſubiit labores,
Læta ſacrauit niueum pudorem
Flore Iuuentæ.

AD

DIALOGVS INTER
MARIAM, & IESVM.

Mirum eſse inter vtrumq; NOMEN conſenſum.

ODE XXIII.

MEmphin liquerat hoſpitam,
Et ſeptemgemino ſapè natantia
Nilo Rura Parethonum
Diuinoq; redux cum Puero Parens
(Erepto Solymum Duce)
Feſtinabat iter læta reuiſere
Deſertos Patriæ Lares
Olim culta ſuis tecta Parentibus;
Cum iam feſſa laboribus
Solatur viridi membra ſub arbore,
Natum deindè tenellulum
Affatur teneris Mater amoribus.
Maria. *Duris, Nate, periculis*
Inter dura feris littora barbaris
Nati Mater amabilis
Ad Nomen reperit delicias ſui.

Ieſus. *Terra, Mater, inhoſpita,*
Inter tecta fera dedita Tænaro
Matris Nomen amabilis
Vitæ præſidium ſæpè vocauimus.
Maria. *Hyblæ melle ſuauior,*
IESV ſidereo nectare dulcior,
Alto quod pluit Æthere
Priſcis grata vagis eſca Parentibus.
Ieſus. *Verna ſplendidior Roſa,*
Mater, ſidereo flore micantior,
Cuius Cœlicolum frequens
Limen perpetuis halat odoribus.
Maria. *IESV Nomen vt audijt*
Dio lætitias induit hoſpite,
Diſiectoſq; ſolo Deos
Tellus obſtupuit barbara ludicras.
Ieſus. *Cum primùm MARIÆ sacrum*
Effulſit Superis Nomen eſt Incolis
Surrexere recentibus
Sedes ad ſtygium iam vacua nefas.
Maria. *Toto diceris Æthere*
Sol latè eiaculans Iuſtitiæ iubar,
Quo luceſcit ab aureo
Circumfuſa Dei lumine Ciuitas.
Ieſus. *Mundo diceris arduo*
Phœbe purpurea luce micantior,

Qua

Qua ſurrexit ab horridis
Tellus ad Superum lumina noctibus.
Maria. *Rerum lux radio potens,*
Campi flos liquidis gratus odoribus,
Mons formoſus Aromatum,
IESV, partheniam flamma cupidinum.
Ieſus. *Mirans Aligerum Chorus*
Ignotum Mariæ Nomen ut audijt
Futuræ ſpecimen ſpei
Præſtari didicit prò Adamidam bono.
Maria. *IESVS, Nomen vt inclytum*
Profatus Gabriel iam mihi; Gaudia
Cœlo, Præſidium Solo,
Infernoq; timor maximus additus.

AD AMICVM

VT A SECVLO SE ABDICET.

ODE XXIV.

HEù! quam doloſa ludit imagine
Mundus! Trahuntur conditionibus
Heù quam malignis, qui ſerena
Fata diù, ſtabilemq; credunt
Sortem fugacem! Nunc nitet aureo

Fortuna vultu, nunc riget horrido,
Cum læta mortales honorat,
Cum rabidis premit atra curis;
Semper ſecundam, ſemper amabilem
Qui ſperat auræ neſcius, heù miſer
Paſcit ſpe anhelum cor inani,
Quod lacrymis ſaturabit indè
Soluit Liburno Carbaſa thracio
Verrente Cœlis Nubila Cæcia,
Ruitq; Ponti latus vndas
Nauita fluctiuagus carina.
Dum ridet æther, per freta diffugit
Pinus cupito flamine, Doridum &
Circumſpicit chorum, ac fauentes
Ludere Nereidum cateruas.
Eheù caueto. Surgit ab Africo
Nimbus furenti turbine percitus;
Crebri micant ignes, poliq;
Terribili reſonant fragore.
Iam miſcet altum perfidus, & ferit
Cum puppe proras Eolus: incubat
Nox atra Mundo, nec carina
Suſtinet inſtabilis procellam.
O Continentem, ſi ſapis, aut vales,
Appelle, Ventis credule Nauita;
Breui reſumit nam Fors auara,

Si

Si quid amica dedit beatum.
Tu blandienti ne faciles dato
Aures vocanti læta per Æquora
Sireni, Amice, quæ propinquam
Illaqueat ſpecie ruinam:
At ſurdus arce, & propoſiti tenax
Percurre tutus Pacificum mare,
Sibi quod alma emancipatis
Religio sacrat inter Aras.
Hìc nam ſereno ſemper ab Æthere,
Spes alta Nautis emicat arduis
Datura curſibus quietum
Virgo Parens Cynoſura portum.

OCTAVIO SCARLATTINO.

Prò ſuo Epicuro Vindicato.

ODE XXV.

QVò quò diſerti fertilis ingenij
Virtus decoro te rapit impetu,
Qua nomen inuiſum refundat
Per faciles Epicurus aures,
Menteſq; longo leniat impetu
Faſtidioſas, ne decori grauem

Notam reformidet vetuſto
Hoc iterum redinimus œuo?
Tutator ardens vt ſapientia
Opponis acrem ſub Clypeo manum
Orbis ruentes vſq; vires
Te licet oppoſitum laceſſant,
OCTAVI! Amico fœdere concitus
Mæſtum potenti lumine vindicas
Atris Neoclidem tenèbris
Magne Cliens Sophiæ; nigrantem
Nubem colores vertis in igneos,
Glebas aceruum vertis in aureum,
Geluq; concretas pruinas
In ſolidos adamantas; altè
Phœbo micanti proximus æmula
Virtute fulges, & ſapientiæ
Nitore, qui cogis tenebras
In rutilas remeare luces.
Tandem reperta luce beatior
Mentita ridens ora procacium
Gargettus gaudebit, vna
Sorte ſuas habuiſſe laudes.

IN

IN OBITV SANCTISS.

PP. CLEMENTIS IX.

AD AVGVSTINVM COLTELLINI

Aduocatum, Academiæ Florentinæ quarta vice Conſulem, Sancti Officij Conſultorem, &c.

Vt hilares Muſarum cultus intermittat, & Optimi Pontificis Mortem, Cretenſiſq; Regiæ iacturam deploret.

ODE XXVI.

O Qui Coruſcâ ducis originem
De Stirpe, Magnum lumen Etruriæ,
Fulcimen AVGVSTINE recti,
Grande Sophos, Studiorum & Altor.
O Vir gemella Splendide laurea,
Sat multiformis cui patet arduus
Vſus loquelæ, quodue Græci,
Quodue Arabes, Solymique norunt.
Nunc eſt dolendum. Collacrymabile
Pondus malorum nunc querulis iubet
Clamoribus Cœlum ferire,

Atque

Atque genas temerare fletu.
Nunc eſt dolendum. Num ſi Othomannica
Ceſsit furori Chriſtiadum Cohors
Addicta bello, ſique noſtris
Altior Odryſius Ruinis,
Feſtiuum eburno pectine barbiton
Diuerberabis? Deſine, deſine
Adire pauliſper Camœnas,
Atque probris geme iuncta damna;
Quæ penè CLEMENS MAXIMVS, Arbitrum,
Numenque terris, quem dederat Deus;
Sacrà refulgentem Tyarà
Quem Dominum venèratus Orbis,
Percepit, alto vulnere Nuncium
Æqui doloris pectora ſanciat
CLEMENTI adhæret lacrymanti
Egregiùs pietate luctus.
Heù, dixit, atris Arma ego Thracibus
Conceſſa noui, noui ego barbaro
Cretenſis, heù, Regni Colònos
Chriſtigenas domitos Tyranno;
Prædàta dudum iugera Ruſtici
Iàm non fidelis Semina nutriunt,
Thraces triumphantes at arua
Pacifico reſecant aratro.
Iam non Supremo Culmina Numini

Sa-

Sacrata fumant: muneribus pijs
Iam non renidet, nec Sacerdos
Criminibus Populi expiandis
Altàre ſcandit, Victima vt Innocens
Chriſtus ſacrètur, Barbaricis focis
Pollùta squallent, ac Salutis
Quæ fuerant, modò Porta Ditis.
Signum Redempti Terrigenæ iacet
Probris ſubactum (proh dolor!) hoſtium
Affixa delubris micante
Luna nitet radians metallo.
Piſcis gementes Remige Thracio
Agnoſcit vndas: dedita crimini
Lunata Piràtæ Triremis
Adriacum populatur æquor.
Euerſa Miles Mænia roborat.
Inuaſor altis aggeribus: Nouos
Molitur aggreſſus, ruinaſq;
Occiduis minitatur oris.
Iàm iàm feroci Thracia cuſpide
Penetrat agros Italiæ ſinus;
Iàm iàm gementum Caſtra cerno
Subdita barbaricis ruinis.
Turpe, & dolendum Pontifici diù
Dilecta vinclis brachia cernere
Contorta crudelis Tyranni

Æthe-

Æthereo fruitura Regno.
Electa nùm gens, quæ ſtygios lacus
Victrix ſubegit iam Duce, & Auſpice
Chriſto, ſubibit nunc tributum,
Vt proprijs agitetur armis?
O vos citato iam pede funera
Adeſte: Terras linquere nos iuuat;
Iactura Cœli luctuoſa
Funeribus comitanda noſtris.
Secùrus inquit quæ ſibi Siderum
Rector pararet: Membra doloribus
Cedit; ſereno fata vultu
Ad Superos abitùrus optat.
Vocàta ſiſtunt Arbitrio Patris:
Orbem relinques Aſtra patentia
Inter fideles lacrymantes
Lętitia properauit auctus.

AD AVITVM
VT HONESTIVS VIVAT.
ODE XXVII.

INſanienti fræna licentiæ
Auite tandem pone. Pericula

Qua

Quid præter effreno paretur,
Et trepidi nimium labores?
Ille ille Vitam deget amabilem,
Cuius cupido fixa Deo. Fuge
Senſus doloſi Caſtra; fiet
Delicijs animi beatus.

AD MARCHIONEM PHILIPPVM ANTONIVM COCCAPANI.

Eius Vitæ inſtitutum laudat.

ODE XXVIII.

DIù remiſſum tangere Barbiton
Hæſit voluntas nuper, & inſcio
Quò verterem Cantum PHILIPPI
Intonuit mihi Muſa Nomen.
Nomen PHILIPPI, quo decus inclytum
Recens vetuſtis faſtibus additum;
Huic nempè Virtutes decora
Flagrat amor cumulare mentem.
Laudare læto Carmine quid vetat
Ex COCCAPANO me genitum Patre?

Vir-

Virtus taceri neſcit. Auſim
Hic breuibus ceciniſſe ſaltem,
Quod temperatam rebus in arduis
Seruare mentem noueris inclytè;
Quod diuiti Fortuna Cenſu
Non tumidum videat ſecunda.
Nam blandienti cum annuerit nimis,
Non credis; immò ſæpè ſequacium
In damna fraudes molientem
Egregiè timidus repellis.
Fragi, ac honoro deditus ocio
Viuis quietis ſic operoſior
Curis, caducisq; occupatus
Sedulius tamen Aſtra quæris.

AD VALGIVM.
ODE XXIX.

MEntes iniquæ mole ruunt ſuà,
Amice Valgi. Deſine, deſine
Tandem querelis. Pena linguæ
Lingua ſibi malè ſana fiet.
Incautus Ales qui lubrico nimis
Tendit volatu decipitur Plagis.
Sic Turdus infelix ſibi ipſi
Dicitur exitium parare.

AD

AD COMIT. LVDOVIC. COCCAPANI.

ODE XXX.

Gallias plectro libeat canoro
Currere. O quantum reſonare Nomen
Audio! Æternis LVDOVICE faſtis
Vndiq; fulges.
Hic parant Ciues vbi bella Regi,
Et Caput Regni malè perduelli
Æſtuat ferro, iacularis atrum
Cuſpide Monſtrum.
Hic & Inſuber ſtupet, ac potentèr,
Quæ moues, ſcitis Padus horret armis,
Ac tuo preſſus tacitos reclinat
Milite fluctus.
Nouit ALPHONSVS, memoranda cunctis
Fama cui seclis, gladium indè quantùm
Docta tractando tua dextra, quantùm
Mens tua poſſet.
Nouit, ac altè ſapiens Cohorti
Militum fidus voluit præeſſes,
Quæ ferox nudo vigilat per Aulæ
Limina ferro.
Clarus & nouit viridi in Iuuenta
Ipſe FRANCISCVS Patris altus Hæres.

Ca-

Carus huic viuis, qui Animi fidelis
Robora laudat.
Quam ſapit Princeps! potiùs putarim
Prouidum dici Populi Parentem
Tam ſibi addictas ſatagit beatas
Reddere Gentes.
Quam ſtruit Molem! noua Roma vaſtis
Molibus longè celebrata cedat.
Nobilis quali Mutinæ renidet
Regia cultu!
Eſto ter felix, LVDOVICE, Tanti
Principis quandò frueris benignis
Nutibus, longà & tibi deſtinata
Sorte Beatus.

AD AMICVM,

ODE XXXI.

L Inque vindictas. Potiùs doloſa
Læſus à lingua precibus fatiga
Numina. Hęc poſſunt ſatis expiare
Crimina linguæ.
Quid fuit Datan ſceleri, & Abiron?
Sorbuit nonnè impatiens Vorago?
Et ſuum Iudæ laqueum maligna
Lingua parauit.

PRO

PRO

BIBLIOTHECA MEDICEA

AD

COSMVM TERTIVM

SERENISS., ET CLEMENTISS. ETRVRIÆ MAGNVM DVCEM SEXTVM.

Cunctis penè Europæ Regibus Bella medi-
ditantibus COSMVS coaceruandis vn-
decumq; libris operam nauat.

EPIGRAMMA I.

ASſiduis totus Pugnis confunditur Orbis,
Quilibet vtq; hoſtē deprimat, arma parat.
COSME, libros cumulas, & diù Pace beatus
Arma, quibus poſsis vincere fata, paras.

Digitized by Google

IDEM ARGVMENTVM.

EPIGR. II.

CVm modo ſolliciti ſurgāt in prælia Reges,
Implorant votis Fata ſecunda ſuis.
Quęris at æternum paritura volumina nomen,
Coſme, *tibi; en votis ſubdita fata tuis.*

IN PVBLICAM COENAM, QVAM Regio apparatu Sereniſs. ac Reuerendiſs. Princeps LEOPOLDVS S. R. E. Card. Piæ Domus Pauperibus inſtituit.

EPIGR. III.

AVrea Perſarum ſileant cœnacula, menſas
Aſsiduas iactet nec Cleopatra dapes.
Nec Sybaris molles cyathis laudentur honores,
Græce coronatum diſſimuleſq; merum.
Romaq; Cæſareo victrix epulata triumpho
Parcito munificas tollere in aſtra manus.
Omnia Mediceo *cedant conuiuia; luxus*
Illa dedit ſummus; ſumma dat hæc Pietas.

PE.

PETRVS FRANCISCVS MINOZZIVS Iam penè ſenio confectus antequam è viuus excederet Mediceæ Bibliothecæ laudes, tum Latinis. tum Etruſcis Carminibus egregiè proſecutus eſt.

EPIGR. IV.

AVſonià clarus, Cytaraq; ſuperbus Etruſca
Occidit, heù longum viuere dignus Olor.
Occidit, egregijs qui clara Volumina faſtis
Edidit æternos vſque habitura dies;
Scilicet vt Magno congeſta Volumina Coſmo
Dixerat, Etruſci nobile Regis opus.
Nobilius nil poſſe ratus, nil clarius: inquit:
Muſa vale, ſatis eſt gloria, vita vale.
Tunc ego cum ſolito meliùs cantaret Oloris,
Dixi, ah! iam noſtri proxima vita neci eſt.

DE DIVO LEONE PONTIFICE. Ab Attila inuaſione Romam liberante.

EPIGR. V.

POſt varias vrbes, poſt plurima Regna ſuba
Romulidum ſedes Attila inire parat.

Iam, Romane, tremens ſeruili brachia ferro
Ingeris, & miſero colla ſubacta iugo.
Dia ſed ora Leo venientibus obÿcit, atque
Armatas Scythia terret ab Vrbe feras
Hunniacas contemne feras, Romane: potentis
Ad qua confugias, ora Leonis habes

DE SANCTA BARBARA,
Cui Patris iram fugienti lapis ſe ſe aperuit.

EPIGR. VI.

BArbara barbariē greſſu properāte paternā
Dum fugit inceſtis non temeranda sacris,
Inſequitur Genitor diſtricto barbarus enſe,
Et profugam diro pene mucrone premit.
At ſubito obiectum pandit ſua viſcera ſaxum,
Et via fit Nata, fitq; Parentis obex.
Proh pietas ingens! Feritas heu barbara! saxū
Corda paterna gerit, saxea corda Pater.

DE MORTE CLEMENTIS IX. P.O.M.

EPIGR. VII.

VIx Othomanus habet Cretēſia mœnia: Pacis
Fœdus init: Clemens *vltima fata ſubit*

Fæ-

Fœdera ſi Pacis Clementi *funera gignunt,*
Fata hæc Pax Bello deteriora parit.

IN OVÆNVM POETAM HÆRETICVM

EPIGR. VIII.

Dum Cythara fidibus celeberrima carmina pangis
Impius in Cœlum dogmata, Ouęne, *canis*
Sic cytharà ludẽs lædis ſacra Numina, nāq; hoc
Ludere, Ouęne, *Fide eſt lædere turpè Fidem.*

DE PASTORE, ET VENATORE.

EPIGR. IX.

Conneniũt Paſtor Climax, Venator et Acrō
In grege deprahenſo funera ferre lupò.
Ille quatit baculum, iaculũ vibrat iſte, feramq;
Eminus iſte petit, cominus ille premit.
Diſpare pro cauſa ſubit ira ſimillima, caſum
Hinc pecus vleiſci poſtulat, inde canes.
Stat iaculo, baculoq; cadit fera bellua; victor
Vindicat ille pecus, non tamen iſte canes.
Hæc Diana videns irriſit talibus: I nunc
Et iaculo, Climax, vtere, Acron baculo.

DE NVPTIIS HIPPOLYTI MALASPINÆ Marchionis, & Chriſtinæ Pallauicinæ.

EPIGR. X.

QVà ſimul extremi iungunt cōfinia Regni
Limine concordes Tuſcia, Parma, Ligur:
Hic celebrata ſacro fulgent connubia cultu,
Quo Chriſtina *ſuo iungitur* Hippolyto.
Iure legunt multis communia limina: claudi
Non poterant vno gaudia tanta loco.

IN DIOGENEM.

EPIGR. XI.

CVr hominē quærat Cynicus deriſor in Vr-
be?
Si Canis eſt, ſyluis quæritet ille feras.

DE ANNVNCIATIONE B. M. V. In illa verba Lucæ c. 1. Fiat mihi ſecundum verbum tuum.

EPIGR. XII.

OMnia, quæ mundi vaſtū ſinuātur in orbē,
Dicentis: Fiat: Vox dedit vna Dei.

Fiat,

Fiat, ait, Polus: hic ſit: ſiat Terra; creatur:
Et Mare: ſiat: ait; facta que lympha mare eſt.
Hinc mare nobilibus gemmis; hinc floribus ornat
Purpureis Terram, diuite luce Polum.
Vox dedit vna Dei crebro repetita creantis,
Scilicet omne dies ſeptima vidit opus.
Fiat: ait Virgo ſemel, & ſit Chriſtus in illa,
Qui lux, flos, gemma eſt, qui mare, terra, polus.

AD SVVM LIBELLVM SEPVLCRALIVM Inſcriptionum dicatum Opitio Pallauicino Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Archiepiſcopo Epheſino, & apud Sereniſs. Mag. Etruriæ Ducem Nuncio Apoſtolico.

EPIGR. XIII.

Pauperis ingenij ſoboles petis ora, Libelle,
Nudus opum? caueas: Pauper vbique iacet.
I tamen: incedes inſigni nomine diues:
Ipſe ſuo Præſul Nomine fundit opes.

EPITAPHIVM
Cherubini Malaſpinæ S. Sepulchri Epiſcopi.

EPIGR. XIV.

propago,
H*Oc tumulo* Cherubin *tegitur*, Mala Spina
Qui bonus vt Paſtor, ſic bene pauit oues.
Attamen extinctũ Cherubin *ne crede*: *Sepulchro*
Qui fuit aſſuetus viuere non moritur.

EPITAPHIVM
Deſiderij Montemagni Ferdinando II. Mag. Etruriæ Duci V. à Secretis.

EPIGR. XV.

D*Iſcite Mortales, ſit quantula gloria terræ!*
Qui Mons Magnus erat, nunc cinis exiguus.

IN GELLVM.

EPIGR. XVI.

N*Ox erat*, & Gelli *carpebant lumina ſomnũ*,
Circuit vt Gelli *turba inimica domum.*

Pro-

Protinus exurgens ſtrepitu perterritus inquit:
Quo mihi turbatur noctis amica quies?
Et celer, et trepidus properat ſe aduectare feneſtre:
Hoſtilem turbam, quam timet, ecce videt.
Nudus vt exierat ſtrato deſcendit ad ima,
Poſtibus & fortes aggerit indè trabes.
Nil iuuat; grato perfringunt ariete poſtes:
Limina pars curat, pars penetratq; lares.
Omnia perquirunt, percurrit & omnia Gellus,
Deniq; cælari ſola latrina dedit.
Si tanto hoſtilem rabiem fugit iſte labore,
Credibile eſt illum non voluiſſe mori.

DE VENERE APELLIS A CELEBRI Poeta Petro Franciſco Minozzi acutiſſimè laudata.

EPIGR. XVII.

I*Am Venerem fadi Matrem ne dicito Amoris:*
En peperit caſtas ipſa Venus veneres.

IN

IN CÆLIVM MALVM POETAM, QVI de celeritate ſcribendi gloriabatur, ac de tarditate illudebat Amicum.

Amici nomine.

EPIGR. XVIII.

COEli, iugiter aſſeris, breui hora
Cunctis Ciuibus, exaraſſe librum,
Et me nomine tardioris angis
Per conuiuia cuncta, per plateas.
Toto quod miſerum explicem libellum
Anno. Ne ſtudeas magis probare:
Iam verum, quod ais, ſatis pateſcit.
Quisquis nam legit & tuum, meumque:
Noſcit, quod peperit tibi hora librum,
Annus quod peperit mihi libellum.

AD IO: GVALBERTVM A S. SIGISM. ſuum quondam in Rhetoricis Auditorem.

EPIGR. XIX.

GAudia mille tibi poteras, Gualberte, *parare,*
Sed tibi quid poterant gaudia fluxa dare?

At

At nunc aſsidui quæ ſint bona diſce laboris.
Hoc primum: Docto cuncta repoſta patent.
Deindè, quod ille vnà peragit feliciùs horà,
Anno quæ indoctus perſoluiſſe nequit.
Tertia res hæc eſt: Fauet illi Principis aula,
Sit licet & Pauper, non eget ille tamen.
Delicias inter Doctum Rex ſemper habebit,
Cum Docto Princeps diuidet imperium.
Eſſe tibi tanto Pauper ſplendore videris?
O quot diuitibus ditior vnus eris!

LEONARDO ZENOBI RECINITENSI
Ordinis Minorum Conuentualium
eximio Concionatori.

EPIGR. XX.

S*Æpe loquor dubitās: diuerſa an Nomina factis*
Maxime conueniant, o Leonarde *tuis.*
Diſcordi virtute potens, Narduſque, Leoque,
Diſſimili ſimilis robore vterque ſuo eſt.
Nardus *odoriferis reficit mea frondibus ora,*
Horrificis terret faucibus ora Leo.
At bene vtrumq; ſuo Tibi cōuenit omine Nomen,
Virtutem auguſto in pectore vtramque foues.
Diſſi-

Diſſimilis, ſimilis Tibi, Fortis, Suauis es idem:
Tu terrere homines, Tu refouere potes.

DE EODEM.

EPIGR. XXI.

AFrica iam proprios ceſſet iactare Leones,
Tollere iam Nardos *Indica Terra ſuas.*
Indica quas Nardos *fouet, & quos Afra* Leones,
Vnica nunc Tellus Recinitenſis *habet.*

DE EODEM
In Iudæos Fidei pertinaciter aduerſantes.

EPIGR. XXII.

IVdæo, Leonarde, *probas dum Virgine natum*
Numen terreſtres incoluiſſe lares.
Annuit ille animo doctis rationibus; ore
Sed duplici mendax incoluiſſe negat.
Plebs Iudæa, ſi corde tenens, tamen ore negaſti,
Non fuit hoc, te non credere, nolle fuit.

AD

AD IOANNEM ANDREAM MONELIA In Academia Piſana Ordinario Loco Praxis Medicæ Lectorem, & Vatem egregium.

EPIGR. XXIII.

DEponis quandoq; Lyrã, Medicaſq; per Artes
Curris, quam docuit flauus Apollo viam.
Nec raro Medicis etiam, Monelia, *miſſis*,
Quæris Apollineæ tangere fila Lyræ.
Sic Animi curas, morbos sic Corporis arces,
Efficit & gratas ſic tua dextra vices.
Ergò te duplici præcingat Apollo Corona,
Quem ſibi iam duplex fecit Apollo parem.

SAMPSON OCVLIS EFFOSSVS.

EPIGR. XXIV.

DIlige, dixit Amor: Voces infenſus Amoris
Deſpexi: rurſus, dilige, dixit Amor.
Dilexi tandem, & ſubito mea lumina fodit,
Inquit & irridens: lumine cæcus abi.
Allicit infenſum, me lumine fraudat amantem:
Sic ſimilem cæcus me ſibi fecit Amor.

STA-

STATVA SAMPSONIS CALVA.

EPIGR. XXV.

Ecce Philiſtæi Sampſon iam terror, & horror,
At Generis vindex, præſidiumq; ſui.
Ne pereant patrij cultus, eſt plurima paſſus:
Vt pereant hoſtes, obrutus ipſe perit
Arte iterũ viuit. Noua Tẽpla refunderet, aſt Ars
Illi crinitum non dedit eſſe Caput.

AD EVGENIVM GAMBVRRINI

Caſſinenſem Abbatem, Setenifs. M. D. Etruriæ Familiarem, & Chtiſtianiſs. Ludouici XIV. Galliarum Potentiſs. Regis Eleemoſinariũ Pro ſua Genealogica Hiſtoria de Illuſtribus Familijs Etruriæ, & Vmbriæ.

EPIGR. XXVI.

Tuſcia proh quantum tibi debet, & Vmbria laudis,
Gamburrine *tuis clara Voluminibus!*
Scilicet ad noſtrum veteri de tempore natos
Illuſtres Homines, Progenieſq; notas.
Sic etſi ſteriles hinc non noua Germina gignant,
Æternùm per Te viuere poſſe datum.

DE

DE IESV REDEMPT. NASCENTE.

EPIGR. XXVII.

N*Vdulus ecce Puer ſummo deſcendit Olympo,*
Et ſolita è Cœlis attamen arma gerit.
Arma Vnda, & Flāmæ. Flāmas deuibrat ocellis,
Lacrymuliſq; ſuis mergere Corda parat.
O nunquam ceſſent lacrymæ, flammęq; Puelli,
His dulce immergi, vulnera dulce pati.

DE D. CLEMENTE PONT. MAX. & Martyre.

EPIGR. XXVIII.

B*Arbara* Clementi *redduntur munera, ferro*
Dum grauis in geticas præcipitatur aquas.
Attamē hic pario tumulatus marmore Clemens
Dicitur, Angelicà ſtructaq; Templa Manu.
Quæ pia Turba videns, curſum cedentibus Vndis,
Dum ſtupet ad mirum, talia verba refert.
Clementi *clemens Cœlum, Mare, Saxa fuerunt;*
Solaq; Traiani barbara Barbaries.

AD

AD VINCENTIVM CAPPONIVM Marchionem prò ſua Etruſca in Dauidicos Pſalmos Paraphraſi.

EPIGR. XXIX.

DVm canis Etruſcis Pſalteria Dauidis; ipſe
Iam cuperet modulis concinuiſſe tuis.

AD CAROLVM COCCAPANI Ingenuum Puerum, vt Deiparæ Patrocinio confidat.

EPIGR. XXX.

SI Mariam quiuis fidenti pectore ſupplex
Exorat, clemens præuenit illa preces.
Namq; Homini à Nato crudeli morte redempto,
Ne infelix pereat, ſedula Mater adeſt.
Mater adeſt. Sæui conſurgent prælia Ditis
In te? Propellet prælia: Mater adeſt.
Mater adeſt. Meliora mero petis Vbera? Votum
Explebit præſtans Vbera: Mater adeſt.
Mater adeſt. Metues tibi læſi Numinis ignes?
E dextra euellet fulmina: Mater adeſt.

Ma

Mater adeſt. Hoſtes miſerum per deuia ducent?
Inſidias reteget prouida: Mater adeſt.
Mater adeſt. Tenebræ tentabunt lędere mentem,
Dio perfundet lumine: Mater adeſt.
Carole *ad hāc propera. Vult, et ualet omnia ferre*
Ipſa tui Mater, Mater & ipſa Dei.

AD AVGVSTINVM COLTELLINI Aduoc. &c. Variorum Operum Compilatorē.

EPIGR. XXXI.

Chartis
Tam benè dum breuibus complecteris omnia
Coltelline *amplis ſcripta Voluminibus:*
Vitam, quæ breuis eſt, longā facis eſſe Magiſtris,
Artem, quæ longa eſt ſi facis eſſe breuem.

IN AMAN.

EPIGR. XXXII.

Aman, qui celſi flagrabas culmen honoris
Iam Trabis elatæ culmina celſa premis.
Quid cupias iterum? quod vis tibi Fata dederunt,
Vix alio poteras celſior eſſe loco.

IN B. MARIÆ VIRG. CONCEPTIONE.

38. 64. *Anag. Numer.* 41. 43. 18.
Maria Virgo. *Purum.* Sola ſine labe.

EPIGR. XXXIII.

S*I meritas cupias Concepta promere laudes*
Symbola ne quæras: Symbola nulla queunt.
Non Roſa, ſente riget; non Lilia, Lilia pallent;
Non Sidus, cingunt nam duodena Caput,
Non Luna, hanc pedibus ſublimis protero; non Sol
Corpus nam radijs induit iſte meum.
Da mihi quæ ſignent igitur Te Symbola. Sola
Quod sine labe *mico* Virgo Maria *vocor.*

IN EIVSDEM NATIVITATE

Heroicum Symbolum. Conchilium cum Rore in Mari Solares expectans radios.
Epigraphe. *His perfuſa micat.*

EPIGR. XXXIV.

A*Spicis vt rutilãs niueis ſplẽdoribus Æther*
Sub lucem Concham rore cadente replet.

Solis

Solis & ad radios gremium tenet iſta recluſum,
Ebibito vt coeat lumine Bacca nitens?
Annæ Concha ſinus, Ros Gratia, Spiritus almus
Sol, atq; his Mater Vnio facta Dei eſt.

IN EIVSDEM ANNVNCIATIONE.

EPIGR. XXXV.

CVm Saræ, & Mariæ Prolẽ monet eſſe futurã
Aliger, illa hilaris ridet, & iſta timet.
Quid mirum videas in eis diuerſa? Futura
Namq; erat illa Hominis, Mater, & iſta Dei.

IDEM ARGVMENTVM.

EPIGR. XXXVI.

IAm Sator Omnipotẽs ingẽs ſibi cõdidit Æther
Pro lare, ſed viſa eſt paruula tanta Domus.
Conſtruxit vaſtas Terras, Pelagumq; profundũ,
Nec potuere tamen continuiſſe Deum.
Clauditur hinc Mariæ gremio. Hoc eſt dicere: Ma-
Hęc Pelago, Terris, Æthere Virgo fuit. (ior

AD PHILIPPVM BALDINVCCI Pictorum, Sculptorum, & Architectorum Vitam ſcribentem.

EPIGR. XXXVII.

Oui quid faciunt tua claraVolumina, longa
Queis merita Artificũ ſecula laude nota ſ.
Pictorum egregio dum monſtrent ordine Facta
Mentem depingunt, macte Philippe, *tuam.*
Ordinis vt celebres præſtant, operumq; Magiſtros
Ædificant æuo non peritura tibi.
Et dum Sculptorum faciunt famã eſſe perennem,
Sculpat vt ipſa tibi Fama perennis Opus.

AD COMITEM LEONARDVM COCCAPANI.

EPIGR. XXXVIII.

Iceris Aſtronomus, tuta quia detegis arte
Quid, Leonarde, *queant cęlitus Aſtra dare.*
At certam potiùs ſapiens ad Numina mentem
Quod ſuper Aſtra feras, maior es Aſtronomo.

AD

Digitized by Google

AD CAROLVM A S. ANTONIO PATAV. Schol. Piar. optimum Vatem, in ſuum Epigr. *De Veteris Romæ Monumentis* ab Eligio Iouannolo Veientano eiuſdem Religioſæ Familiæ egregiè deſcriptis, inciſis, & excuſſis.

EPIGR. XXXIX.

"OMnibus ò quanto foret integra Roma ſtupori,
"Si ſtupidos animos diruta Roma facit?
Carole, *doctiloquo quid faris carmine? Nunquàm*
Integra maiori Roma ſtupore foret.
Quãdoquidem Eligij *pinguntur ab Arte iacẽtes*
Penè ſolo Thermę, Templa, Theatra, Domus.
Priſca per Eligij *ſunt inclyta rudera Librum,*
Et clari Tumuli, Roma Vetuſta, tui.
Diruta Roma Libro eſt: Roma integra cede ſtupori; hæc
Plus ſtupidos animos diruta Roma facit.

DE EISDEM ROMANIS MONVMENTIS.

EPIGR. XXXX.

N*On te perpetuis dederũt tua marmora luſtris,*
Charta ſed Eligij, *Roma Vetuſta, dedit.*

Ad Tumulum
CHERVBINI MALASPINÆ
Ex Dominicana Familia S. Sepulchri Epiſc.

EPIGR. XXXXI.

Terris

Q*Vi tumulum cernis lacrymas abſtergito:*
Eſt Cherubim *longas non habuiſſe moras.*

FLORENTINVM THEOLOGORVM
Collegium ſub Roſæ nomine de Malaſpinæ
ſui iactura conqueritur.

EPIGR. XXXXII.

I*Am ſileat, fallax cecinit quæ fortè Camæna*
Quod riget, amiſſa, Spina relicta, Roſa.
Dū Cherubinus *obit, lacrymis temerata rigeſco:*
Amiſsà Spinà mæſta relicta Roſa eſt.

COGNOMINIS ALLVSIO CHERVBINI
ex dotibus, geſtiſque ſuſcepta.

EPIGR. XXXXIII.

F*Orſitan, ò ſocij Generis, datis omina, veſtrum*
Dū Cherubim Spinam *dicitur eſſe* Malam?

Non

Non ego diffiteor, ſed nos quoque vera fateri
Cogimur, atque Roſam dicimus eſſe Bonam.
Virtus, Nobilitas grandis Sapientia Mores,
Et ſacra Serta Bonam conſtituere Roſam.
Sed properans Chriſti ſe ſpinis iungere Spina
Viſa Mala eſt, Erebi ſed Mala Spina Feris.
Vera igitur faſſi Cherubim Spinamq; Roſamq;
Dicitis eſſe Malam, dicimus eſſe Bonam.

ALLVSIO AD NOMEN ANICETI, Quod *Inuictum* ſignificat. Hoc ante Religionis ingreſſum idem Præſul appellabatur.

EPIGR. XXXIV.

INuicti ſibi nomen erat, quod Tartara, Mundū
Vincere diuino robore ſuetus erat.
Flectere ſuetus erat ſenſus & legis habenas
Fortis, & arbitrij frana tenere ſui.
Ergò quid Inuictus vita contingere metam
Cogitur, & dura ſuccubuiſſe neci?
Forſitan vt Cœlos (ea nam victoria tantùm
Victori ſupereſt) vincere poſſit, abit?

PETRO ANDREÆ TRINCHERIO I. C. Lectori Varo-Nicæno, & inſigni Poetæ.

EPIGR. XXXXV.

Principis erepti cineres, atq; oſſa ſepulti,
Cui pius exequias iurè Sabaudus agit,
Perſequeris, Trinchere, *sacrã modulatus ad Vrnã,*
Funeraq; Aonio tollis in Aſtra ſono.
Æaciden ſectatus, adhuc imitantia plectro
Carmina Mæonio qui moduletur, habet,
Sic amor, ingenium, pietas fecere vel ipſum
Regem poſt Funus proſequerere tuum.
Viuentem viuax pariter tua Muſa ſecuta eſt,
Cumq; hilari lætos miſcuit illa iocos.
Mærens ipſa diù lecto morientis adhæſit,
Et voluit ſacri funeris eſſe comes.
Nec tamen abſtinuit regali iuncta Sepulcro,
Vt ſolito cineres ferret ad aſtra ſono.
Crede mihi, Trinchere, *minus tua Muſa perẽnis,*
Ad lethum, & Tumulum ni properaſſet, erat.

AD

AD FERDINANDVM LEOPOLDVM Del Migliore prò ſua Hiſtoria, cui Titulus *Fiorenza Illuſtrata*.

EPIGR. XXXXVI.

DVm ſtudio ad lucē reuocas per ſecula longa
Blactris, ac Tineis quę tumulanda forent;
Plurima, quæ Patriæ, fuerant incognita Terræ
Nota etiam Externis Tu, Leopolde, *facis*.
Si fuit Illuſtris ſemper Florentia; poſthac,
Quod viuat Mundo Clarior, ipſe dabis.

FRANCISCO NERLIO IVNIORI S.R.E. Cardinali Eminentiſs., qui poſt Obitum Franciſci Nerlij eius Patrui Cardinalis ad Florentinum Archiepiſcopatum aſſumptus eſt.

EPIGR. XXXXVII.

PArcite iā lacrymis, Populi. Satis ora dolori
Ceſſerunt Fato ſollicitata Patris.
Gaudia, quæ rapuit nobis Mors inuida, nobis
Clementis retulit ſors miſerata manu.

Fran-

Franciſco erepto Franciſcus redditur alter,
Floraq; Franciſco Præſule rurſus ouat:
Sors inimica Neci eſt. Patrem rapit iſta, dat illa
Munere, Progenie, Nomine, Amore parem.

PHILIPPVS MACEDO
Methonis in obſidione dextero Oculo obcæcatur, & Victoria potitur.

EPIGR. XXXXVIII.

DVm Rex Æmathius pugnat fera Caſtra Methonis,
Dextro Oculo eripiunt Tela inimica diem.
Sanior indigno caſu mouet arma Philippus,
Milite & indomito Caſtra cruenta capit.
Palmas non ſemper Ducibus dant dextera Fata
Certiùs huic Palmas Fata ſiniſtra ferunt.

CO-

COSMI TERTII
Sereniſs. Magni Ducis Etruriæ Sexti
Effigies.

EPIGR. XXXXIX.

Tertius en fidà ſimulatur Imagine Coſmus,
Quem Dominũ felix Orbis Etruſcus habet.
Non Animus tamen exprimitur. Clementia viuo
Nam patet in Coſmo, *qua latet Effigie.*

IN PVBLICAM COENAM,
Quam Regio ſumptu Sereniſs. ac Reuerendiſs. Princeps LEOPOLDVS S.R.E. Card. Piæ Domus Pauperibus inſtituit. In illa verba Matth. cap. 18. *Qui ſuſceperit vnum Paruulum talem in nomine meo Me ſuſcipit.*

EPIGR. L.

Regali ſternit Menſam Leopoldus *honore,*
Quam non Charippus, non celebrauit Abro.
At ſedet hac Mensà Puerùm plebeia turba.
Ergò quid ingenti prodiga menſa Dape?

Quam

Quã ſapis, ò Princeps! Quã grãdia mẽte volutas!
Huic Menſæ in Pueris accubat ipſe Deus.

IN EANDEM.

EPIGR. LI.

HÆc, quæ magnifico ſplẽdent Cõuiuia cultu,
Sunt quæ magnifica das Leopolde *manu.*
Es tamen, o Princeps, Cœna tã ſplendidà auarus,
Dum Tua mercatur ſplendida Cœna Polum.

IN NATIVITATE IESV REDEMPT. Correlatiuum.

EPIGR. LII.

O*Mnipotens, Summus, Conſumens, Cęlicus, & Rex*
Largitor, Dominans, Ignis, Productor, Olympi
Faſciolis, Stabulo, Glaciebus, Virgine, Fœno
Indiget, arctatur, tremitat, progignitur, hæret.

DE

DE SS. PVERIS INNOCENTIBVS.

EPIGR. LIII.

FElices plantę, proprij quas vnda rigauit
Sanguinis, & ramos tendere ad Aſtra dedit.
Per plagas petiere plagas cæleſtis Olympi
Per mortem venit vita, per arma quies.
Felices Pueri, imbelles occumbite fortes,
Vnus pro cunctis ſtat Puer ipſe Deus.

INSTITVTIO SS. SACRAMENTI.

EPIGR. LIV.

ASpice vt anguſta claudatur imagine panis
Qui mare, qui terras, tartara, & aſtra capit
Grandis Amor! quid non mortalia pectora coges?
Si immenſum paruo cogis in orbe Deum.

AD CYRENÆVM.

EPIGR. LV.

AFfer opem Cyrenae Deo, Chriſtoq; labanti
Sub ligno totis viribus affer opem.

Nonne

Nonne vides? Qui regna Poli, Terraſq; gubernat
Indiget auxilio nunc miſer: affer opem.
En redimit ligno, ligno quos perdidit Adam:
Si quoque te redimit, feruidus affer opem.
Affer opem, præbe auxilium, vireſq; miniſtra,
Vires, auxilium nam tibi, opemq; dabit.

IN CHRISTI RESVRRECTIONE.

EPIGR. LVI.

DVm rupto exurgis propria uirtute ſepulchro,
Chriſte, timet Miles, Mors iacet ante pedes,
Si licuit reliquis mortem deuincere vita
Tu ſolus mortem vincere morte potes.

AD IESVM IN COELVM ASCENdentem. De ſe ipſo.

EPIGR. LVII.

SIdereum peteres, Ieſu, rediuiuus vt Orbem,
Signa pedum petris Te inſeruiſſe ferunt.
Sæpè meum calcas & Cor, dulciſsime Ieſu,
Signa ſed heu! durum non tamen illud habet.
Si cedunt Petræ; ſi Cor Tibi, Chriſte, reſiſtit,
Pro duro teneras inſere Corde Petras. AD

AD CHERVBINVM A BIBIENA S. T. L. Iubilatum Minor. Obſeru. De Cruci affixi Imagine D. Io: Gualberto quondàm Caput inclinante perorantem egregiè. In verba ab ipſo aſſumpta: *Et inclinato Capite tradidit Spiritum.*

EPIGR. LVIII.

D*Vm ſuper eloqueris mota Ceruice Tonantis,*
Quam Tu Gualberto *de Cruce flexit, ais:*
Traditus eſt Diuo, Ieſus quem tradidit olim
Æterno moriens Spiritus ipſe, Patri.
Dũ id, Cherubine, *probas, magna eſt facũdia re-* (*bus,*
Spiritus eſt verbis, ignea lingua Tibi.
Tam benè cum dicas igitur, Bibiena, *quid inquã?*
Spiritus ipſe Tibi eſt, quo loquerère, datus.

CHRISTI CRVCI AFFIXI EFFIGIES D. Io: Gualberto Caput inclinat.

EPIGR. LIX.

C*Vi Caput inclinãt Homines ſi magnus habe-* (*tur,*
Quem dicam, inclinat cui Caput ipſe Deus?

CA-

CAIN EFFIGIES
In solemni pompa Corporis Chriſti expoſita.

EPIGR. LX.

ASpicis vt Fratris temerari sanguine Cain
Tentet, & vt ligni pondera iniqua vibret?
Ne reputes falſæ ſint hæc mendacia Formæ.
Sæuit adhuc rabies pectore, & ira fremit.
Ergò opus indignæ quarè non perficit iræ?
Crimina qui punit ſenſit adeſſe Deum.

IN HERODIADIS FILIAM.

EPIGR. LXI.

DVm ad numerũ tremulo leuiter pede verberat auras,
Et citharæ ſequitur vafra Puella modos.
Tam placet Herodi ſaltans, adiuret vt illi,
Si velit, Imperij cedere dimidium.
Matre tamẽ ſuadente, petit Caput illa Prophetæ,
Et nihili in Populos Iura ſuprema facit.
Dimidium Imperij cur Fæmina auara recuſet?
Nam Genitrix totum iam tenet Imperium.

DHIE-

Digitized by Google

D. HIERONYMVS ROMA BETHLEM pergens.

EPIGR. LXII.

DVm Roma fugeret faſtus Hieronymus, utq;
Antrum Bethleæ pergeret Vrbis, ait.
Cur ego mortales quæram moriturus honores?
Cur Animæ æternus non ſit habendus honos?
Æternos quæram, quos non mortalia poſſunt,
Æternos quæram, quos Deus ipſe dabit.
Aula vale: Bethlem mihi Caula petenda: ſueuit
Illa fouere Homines, iſta fouere Deum.

AD RAPHAELEM TORRIGIANI Egregium Adoleſcentem.

EPIGR. LXIII.

VT fulſit ſuprema dies, qua clauditur Annus,
Etruſcos Dominos ad ſacra Templa vocas.
Temporis hi memores celebrarunt vltima votis,
Et precibus placuit contumulare diem.
Nobilis ingenij facinus! Dum deperit Annus,
Funera num poteras nobiliora dare?

IN FAVSTINVM.
De vnius Patrocinio ſuperbientem.

EPIGR. LXIV.

VNi cur Domino, pauper Fauſtine, ſuperbis
Præſtare obſequium, deſpicis atq; alios?
Occidet: Inuiſus cunctis ſperneris & ipſe:
Quam cupies Dominos tunc habuiſſe duos!

IN OBITV IO: FRANCISCI RICASOLI
Maiorum Inſignium Equitis Hieroſol.

EPIGR. LXV.

EN iacet extinctum Franciſci corpus in Vrna,
Cui genus, & Vitam viuere Flora dedit.
Huius virtutum ſacros meditatus odores
Catus Chriſtiadum: Flos meus, inquit, erat;
Corpus at Odryſius torue miratus: Odorus
Non mihi flos, inquit, qui mihi ſentis erat.
Vtq; Animam vidit Cœlum ſine Corpore, dixit:
Sentis abit, fiat flos ſine ſente meus.

AD CO: HERCVLEM COCCAPANI Comitis Ludouici Filium. Ex Verbis D. Bernardi Serm. de B. Maria: *Hæc eſt enim Scala, Rubus, Arca, Sydus, Virga, Vellus, Thalamus, Porta, Portus, Aurora.*

EPIGR. LXVI.

N*Ate* Ludouici *grato quæ pectore promo,*
Excipe, ſunt genio talia digna tuo.
Si ſcalam quæris, facilem quæ ad ſydera ducat,
Cæleſtis Sponſi cernere ſi Thalamum.
Si Virgam, ſolidet quæ, ne labaris, euntem,
Si velis, vt pateat Ianua certa Poli.
Naufragus ad tutum ſi poſſe appellere Portum,
Stella cui dubium per Mare monſtret iter.
Auroramue, queat tenebras quæ expellere noctis,
Siue incombuſti mira videre Rubi.
Velleris aut pluuiam mirabere fortè ſalubrem,
Quæ ſuper aut tumidis fluctibus Arca vehat.
Scala tibi, Thalamus, Virga eſt, & Ianua, Portus,
Stella, Aurora, Rubus, Vellus, & Arca tibi.

IN VANGELISTAM TEDALDI Ordinis Seruorum B. M. V. Sereniſs. COSMI III. M. E. Ducis VI. Theologum.

EPIGR. LXVII.

VAngeliſta *meus*, *meus* Tedaldi
Vnus ſit mihi multiplex Amicus.
Quemquam ſi cupiam fouere Amicum,
Vel qui Nobilitate peruetuſta
Clari ſanguinis eniteſcat altè,
Vel qui dotibus emicet decoris,
Vel multa ſapiat qui amœnitate,
Præſtans omnibus eſt meus Tedaldi.
Siue abſcondita deprecer repandat;
Hic myſteria ſedulus repandet;
Seù quæ ſecula protulère prima
Exoptem, reuocabit ipſe tutus;
Seù quod ſollicitet Lyram canendo,
Centum proferet argutiarum.
Quid poſſim cupere ex eo, quod retardet?
Cum tanta ergò mihi ex eo reportem,
Vnus ſit mihi multiplex Amicus.

DE DIVO GREGORIO MAGNO.

EPIGR. LXVIII.

res

N*E triplex Diadema ferat, dominaſq; ſecu-*
Terrarum, Nemorum Diuus opaca petit,
Intereà rutilo quærentibus indicat Igne,
Quæ ſuſpenſa Polo clara Columna micat.
Pontificem quàm iure columnifer aſtruit Index,
Cui fuerat Chriſti ſacra regenda Domus.

AD ANTONIVM MAGLIABECHI.

EPIGR. LXIX.

na,

ANtoni *quid cerno? Libris ſunt limina ple-*
Plenaq; ſunt Libris interiora Domus.
Hæc Aulæa Tibi ſunt, hæc pretioſa Suppellex,
Diuitis hæc Cenſus ſunt Tibi cara loco.
At quamuis cumules tam vaſta Volumina, maior
Attamen in Cerebro Bibliotheca Tua eſt.

AD THEODOSIVM ÆGIDII ORD. PRÆD Hębraicę linguę Profeſſorem, & egregium Concionatorem.

EPIGR. LXIX.

STēma tuū dū cerno, tuas dumq; audio voces,
Ægidium, dico, quam bene Stemma notat!
Mons Mentem ſignat ſublimem, Lilia monſtrant
Candorem labijs eſſe perennè Tuis.

AD FRANCISCVM REDI Sereniſs. COSMI III. M. Etrur. Ducis VI. Medicum, &c. Prò ſuis circa Viperas obſeruationibus.

EPIGR. LXX.

O Redi *decus inclytum tuorum,*
Cunctarum bone Alumne Gratiarum,
Tuſcorum Domino fouens ſalutem,
Florentina loquela quem Magiſtrum
Laudat, candida Muſa, & æquè Vatem;
Poſt tot ſecula primus omnium das
Plenam notitiam, futura ſecla
Quà iam noſcere ſint potis, Venena

Ex

Ex quà proueniant vià, saliuæ
Per ductus fluere aſſerens latentes.
Sic Tu detegis ipſe Glandulaſque,
Quæ ſub dentibus eſſe Viperarum
Veſicas propè primus arte noſti,
Queis preſſis nocua inſerunt Venæna,
Et dant funera dente vulnerantes.
Sic quæ tot dederunt Venæna mortem
Dein Vitam Tibi ſunt datura in æuum.

AD MARIAM VIRGINEM ab Angelo ſalutatam.

EPIGR. LXXI.

CLara Saccrdotum, Regumq; decora propago,
Progenies Atauis clarior vna tuis.
Ancillæ improprium, Virgo, iàm deſere Nomen,
Et maieſtatem ritè fatère tuam.
Facta Dei Genitrix toto regnabis in Orbe.
Non hoc Ancillæ eſt, ſed Dominæ Imperium.

AD COMITEM ANTONIVM COCCAPANI,

Vt ſuos de Agricultura libros in lucem mittat

EPIGR. LXXII.

MVſarum Genite eruditiorum,
Qui Aſtrææ ſtudijs amæna miſces
Alti Principis integer miniſter,
Et miti genio ſeueriorem
Tractas Iuſtitiam, diù reſiſtis
Quid præſtare Opus tuum diſertum,
Cui cunctis memoranda fama ſeclis
Ventura? Heu nimium ſolare mentes,
Antoni, *cupidas videre quonam*
Pacto frugiferi magis virere
Campi iam valeant, vt hinc Coloni
Maiorem ſegetum albicare meſſem
Cernant, quomodo ſit ſerendus aptè
Sulcus, quomodo nutrienda Prata,
Vt gramen generoſius vigeſcat;
Fundi quomodo ſint leuandi ab vndis
Decliui, & Fouea; vt queant necari
Qui radicibus aſſolent nocere
Vermes; luxuriantis Arboriſue

Vt

Vt tondenda Coma, & iuuanda plagis.
Ergò pande Opus hoc diù petitum,
Per quod reddere gentibus valebis
Tam lætas Segetes, vt vllus vnquam
Agrum haud viderit antè cultiores.

EPIGR. LXXIII.

CONCEPTIO SANCTISSIMAE MARIAE VIRGINIS.

Monoſticum Anagrammaticum purum.

Inſignita ſuis pia Mater iàm, ecce, Coronis.

EFFIGIES REDEMPTORIS In Cœlum Aſcendentis, & Virginis Matris perorantis.

EPIGR. LXXIV.

Effigies cernis repetentis Sidera Chriſti,
Cui Virgo Mater fundit ab ore preces.
Tam benè apelleus Pictor depinxit vtrunque,
Vt fallax oculus viuere vtrunque putet.
At cur non ſuperat (dicet) ſua Sidera Chriſtus?
Orantis Matris fortè retardat amor.

AD

AD RAPHAELEM BADII Ordinis Prædicatorum, S. T. M., & in Collegio Florentino Doctorum Decanum.

EPIGR. LXXV.

Alas ?
S*Idera cerno tuo*, Raphael,*quid Stemmate,&*
Mente quod edoctà ſemper ad alta petis.

D E E O D E M.

EPIGR. LXXVI.

S*I* Raphael *nomen,ſi Stēmata Sidera,& Alæ,*
Si Mens ſublimis, dic mihi, qualis erit ?

AD LVDOVICVM COCCAPANI Herculis Filium Canem Venatoriam mittit.

EPIGR. LXXVII.

rundo
M*ittitur en tādèm,*Ludouice, *repentis Hi-*
Temporis initio iure capita diù.
Non Libycis redyt noſtras hæc profuga ab oris,
At Florentino ſemper adulta ſolo.

Te-

Tecta Domus querulo cantu non iſta replebit,
Replebit prædis at benè Tecta Domus.
Nam Lepores ſuperabit, Aues & deteget, omnes
Et Domino prædas vnica Hirundo dabit.

IN LVDOVICVM SCOTVM
Catanienſem Min.Conu. S. Franc., S. T. M.,
& eximium Concionatorem.

EPIGR. LXXVIII.

ACcurrat Populus flagrans doceri,
Vt myſteria ſentiat ſalutis.
Scandit Pulpita Scotus en ſecundus
Subtilis, facilis, ſimulque amænus.

AD EVNDEM
Literalem Euangeliorum ſenſum
exponentem.

EPIGR. LXXIX.

IVre quidèm priſcis, occidit Litera, dictum;
At modò per Scotum Litera viuificat.

DE

AD COMITEM IOANNEM FONTANA Auguſtiſsimi Imperatoris LEOPOLDI I. quondàm Academicum.

EPIGR. LXXX.

F*Ons Atauis commune tuis Inſigne,* Ioannes,
Quàm niteas puro Sanguine ritè probat.
Vnda fluens, Nomenq; notat quę Munera Menti;
Gratia nam labijs, doctaq; Vena fluit.

DE D. ANDRÆA CORSINI. Ad Matrem.

EPIGR. LXXXI.

N*E doleas, lacrymoſa Parens, tua Viſcera ſomno*
Quod noris rabidum plena datura Lupũ.
Vt ſacra depaſcet Carmeli Paſcua Montis
Iſte Lupus tandem Paſtor, & Agnus erit.

MEDICEVM STEMMA.

EPIGR. LXXXII.

C*Vr ſex* Medicei *numerantur Stẽmatis Orbes,*
Multiplici Tanta eſt Orbe colenda Domus.

IN-

INSCRIPTIONES

Digitized by Google

Digitized by Google

AVTHOR LECTVRO.

Carminibus, Lector, Inſcriptiones metro ſolutas adiungo, quoniã poeſis quęlibet admittunt ornamenta; paucas quidèm, quià plures ſufficientèr adhùc expolitas nõ habeo; nimias tamèn in ijs, quibus Mors lugubre præbuit Argumentum. Nullibi nimis excedentes laudes reperies, neq; enìm adulator, ſed veri laudator haberi cupio. Si meus ſcribendi modus arriſerit, fauente Deo, multa præſtare mens eſt in Patriæ obſequium, & Illuſtrium Virorum laudem. Feraciſſima ſiquidèm Heroum Florentia, qui Literis, Armis, Ciuili prudentià, ac Sanctitate omni seculo ità floruerunt, vt Bonifacius Octauus Pontifex Maximus, cùm XII. Legatos à Magnis Europæ, Aſieq; Principibus ad ſe miſſos om-

nes

Digitized by Google

nes Florentiæ Ciues cognouit, [a] Florentinos in rebus humanis Quintum Elementum appellauerit; & Sanctorum Laureâ decoratos vniuerſali Fidelium veneratione tot Catholica Eccleſia colendos iuſſerit, vt nulli ferè Nationi ſuprema huiuſmodi gloria ſit inuidenda. Horum ego nonnullorum, ſi per ætatem, & negocia licuerit, fideli Calamo Geſta delibabo Scriptorum Monumentis, & publicarum Tabularum authoritate fultus; quemadmodum à Iacobo Gaddio Viro Nobilitate, Scientia, & Patriæ amore clariſsimo in ſuis hiſtoricis Elogijs factum comperio. Nec externos tacebo, eos præſertim, cum quibus Originis meæ communem Patriam agnoſco. Interim tua humanitate ſopitum diù Calamum excita, & neceſſarias notitias miniſtrando conceptam Scriptionis huius Ideam promoue. Vale.

a S. Antoninus Hiſtor. par. 3. tit. 20. cap. 8.

PRO

P R O

SOLEMNI POMPA

QVA IESV CHRISTI CRVCI AFFIXI Imago, Io: Gualberto Vallis Vmbroſani Ordinis Sanctiſs. Inſtitutori quondam Caput Inclinans ex antiquiſſimo Templo S. Miniatis in Arce Veteri propè Florentiam in Vrbanum Templum SS. Trinitatis Translata fuit Septimo Kalendas Decembris Anni MDCLXXI.

INSCRIPTIO I.

Florentiæ gratulamini Spectatores.
COSMO TERTIO
Etruriam ter fauſtè moderante
Futuri Oraculum præſens euentus docet.
Amicus Pacis Deus è Bellorum Arce diuertens
Illius dignatur mœnia ſubire
Pacem perennaturus.

L *Enge*

Euge lætabunda Florentia,
Amicus Tuus deſcendit in Hortum ſuum
Vt LILIA colligat.
Opere deſideria præcurrito:
Manibus dato lilia plenis.

INSCRIPTIO II.

Portentis fæcunda Tellus Florentia
Tunc caput eſſe floridior,
Cum qualibet defloreſcit Plaga.
Hyeme ſiquidem ineunte,
Flos Campi qui CHRISTVS eſt
Florentiam ingreditur,
Et Lilium ipſe Conuallium longo interſtitio
In Montis culmine commoratus
Vmbroſæ *denique* Vallis *petit Cultores*
Quos æternæ lucis candor
Candidatos efficiat.

PRO

PRO SOLEMNI POMPA

In Templo D. Bartholomei Apoſtoli propè Florentiã exhibita Anno 1674. quo BERNARDVS PTOLOMEI Congregationis Montis Oliueti Fundator à CLEMENTE X. Pont. Max. inter Beatos eſt recenſitus.

INDICTIO SOLEMNITATIS.

INSCRIPTIO III.

BERNARDO PTOLOMEO SENENSI
OLIVETANÆ CONGREGATIONIS
INSTITVTORI
RELIGIOSÆ OBSERVANTIÆ INSTAVRATORI
TERTIVM POST SECVLVM,
MILLE POST OMNIVM VOTA
CLEMENTIS X. PONT OPT. MAX.
SIDEREIS CALCVLIS
IN BEATORVM ALBVM INSERTO,
FLORENTINVM COENOBIVM
QVA POTEST POMPA, QVO DEBET OBSEQVIO
GLORIAM AVTHORI SVO GRATVLATVR.

PRÆSAGIVM.

INSCR. IV.

Tacitis facundus Operibus Deus
Arcanis Arcana, Prodigia Prodigijs euoluens

Religioſam futura Apocaſtaſis methodum
In IOANNE
Præſenti declarat Apocalipſi:
In ſomnis Inſomnis: In noctis silentio vocalis:
In tenebris Candens: Oleam ore gerens:
E terris vergens ad Aſtra:
Denſis cum Oloribus Olor
Genitrici Proles monſtratur.
Quàm bellè vno omnia dicuntur in Symbolo!
Materna datus hic pretium Orationis
Deo perpetuis euigilabit in Canticis.
Angelicæ æmulator Puritatis
Vel stolis in Albis imitabitur:
Internos nempè habitus Habitu ſignabit ex-
Vt ſiat in Pace locus eius æterno.
In Montem Oliuarum, & ducetur, & ducet
Pater antè ſtatutus, quàm Filius.
Perge, Viator.
IOANNEM iam totum inſpexiſti.

METAMORPHOSES.

INSCR. V.

O quàm iacturæ contermininũ terrarũ eſt lucrũ!
Gloriam in ſtudÿs PTOLOMEVS quærens
Oceа-

Oculos perdit.
Mundi quàm obſcura ſint omnia
Cæcus cæpit inſpicere,
Quæ oculatus non viderat.
Humanarum Legum ſtudio relicto,
Ad diuinas mentem appellit.
Ex Doctore Diſcipulus factus
Sanctimoniam vnica lectione Magiſtros docet.
Practicè illum dicas præcipere,
Qui omnia diſtribuit, ne vno careat Deo.
Patronus reliquis eſſe recuſans,
Patrocinantem ſibi MARIAM precatur.
Voti compos factus, & reus,
Ab omni vt fugiat reatu,
Acconem in Montem fugit
Penè inacceſſā cæteris, vni peruiā Virtuti viā.
Vt Nouum Hominem totum induat,
Antiquum exuit Nomen,
Solam in pretio habens gratiam,
Cui pretium faceret Virtus.
In Nominis mutatione
Spiritui nomen dedit incommutabile.
Ex IOANNE BERNARDVS vocatus
Claraualleuſi Homonymus, & Homogenius:
Alter in Valle, in Monte alter
Æqualem vita coluerunt aſperitatem,

Triplici cum Hoſte confltctans
Tria ſibi parauit Propugnacula,
Lucifero Michaelem, MARIAM Mundo,
Carnalibus lenocinÿs Chriſti
Cruciatus obÿciens;
Quibus adeò infractus,
Vt bellare, ac debellare
In eo sinonyma viderentur.

CATASTROPHE TRIVMPHALIS.

INSCR. VI.

In BERNARDO Tyronem emeritum,
In Caluarÿ Capitolium triumphale factum
Quid mirare, Viator?
Meritò triumphalem ex mortis exuuÿs
Arcum erexit
Omnia qui ab ea iam extorſerit tela,
Imò & in ipſam contorſerit.
Inter oſſa excarnificata ſe condens
Carnem fugit, & vicit.
Iam non Propheta ſuper Orſibus,
Sed ipſa Orſa de Filio hominis vaticinantur;
Nouus nempè Phænix BERNARDVS
Non ex ſuis, at ex aliorum Cineribus
Re-

Renouatur vegetior,
Et inter eneruia Oſſa
Neruoſiſſimum ſpiritum fouet.
Non vt Cinicus ille
Philippi Macedonis Oſſa repertuꝛus, ſed Deũ,
Inter emortuorum reliquias viuit.
Vnde à criminis morte
Inter mortuos liber BERNARDVS
Mortalitatis in libro Immortalitatem edidicit
Alium iterum Mors Caluaria Mõtem inuenit,
In quem rurſus in triumphum duceretur.
Qui igitur mortem vicerat
Mortis exuuias
Triumphalia ſibi ornamenta deſtinauit.

PRIVILEGIA.

INSCR. VII.

Ne ſolus ſuperbi, Sinai.
Sena pariter, vt ſuperbiant par eſt.
Habent & iſta Legiſlatorem ſuum.
A Deo Moyſes; à Dei Matre BERNARDVS
Tabulas legis excepit
Æternam breue iter ad vitam.
Quin & largiendo prodigia amplificans Virgo

Digitized by Google

Vt nihil illi ſit non Cæleſte,
Singula è Cælo miniſtrat,
Regulam, Habitum, Inſignia, Locum.

Reliqua Bernardi Geſta lyricis attigimus, quæ literarium Apparatum complebant. Habes pag. 73.

PRO PVBLICA COENA, QVAM REGIO Sumptu LEOPOLDVS MEDICES Sereniſs. ac Reuerendiſs. Etr. Princeps S.R.E. Cardinalis Piæ Domus Pauperibus instituit.

INSCR. VIII.

Ingredere,
Purpurate Princeps LEOPOLDE.
In alieno ſolamine pietatem tuam intuère,
Quam Pauperes
Propriæ venerantur Originem felicitatis.
Ingredere:
Tuo Præſentiæ Lumine, Tutelæ Numine
Loci huius
Obſcuritas illuſtratur, ditatur Paupertas.

INSCR. IX.

Sub Pientiſſimo Capite
Quàm Pietas effloreſcat in membris
Hinc

Digitized by Google

Hinc, Spectator, dignoſce.
Ad exulandam calamitatem,
Ad ſcelera deprimenda
Omnes Ordines vnanimitèr conſpirantes
Iſtud Pietati erexerunt Aſylum,
Iſtud Pauperibus aperuerunt Profugium.
Egenus es? Solamen inueniſti.
Felix? Ad hac Pietatis Machinamenta
Tu quoque mentem excita, manum moue.

ACADEMIÆ DEDICATIO.

INSCR. X.

Surgentium Academia
Sacro ſub Apolline Philippo Benitio
Quam benè initium auſpicatur!
Qui quondam in Senario
Aperit hic etiam Parnaſſum ſuum;
Et ne Caſtalij latices deſint,
Vt ibi quondam ex Petra,
Ex Animis hic etiam nouos excitat * Fontes.
Securi Vates concinite:
Diuini huius præſidio Tutelaris
Malignos liceat irridere Pythones.

* Surgentium Academiæ Heroicum Symbolum Fons eſt cum Epigraphe: Acquirit eundo.

Digitized by Google

ACADEMIÆ DEDICATIO.

INSCR. XI.

Adeſto, Ciuis Academiam hanc ingreſſute,
Hermatenæ Tutelaris Inſigne
Paruum Nomine Virtute maximum
D. ANTONINVM Archiepiſcopum
Venerator,
Qui diuinæ Sapientiæ
Cæleſtem in ſe iunxit Eloquentiam.
Hic Diſcipulorum omnium,
Doctorumque fortunatiſſimus,
Deum ſolum habuit Præceptorem,
Mundum Auditorem.
Ideò omnia didicit, docuit, nouit
Labore, Exemplo, Doctrina,
Quia nulli intentus, niſi Deo.
Tandem è terris ad ſuperos aduolans
Tot ſui reliquit Encomia, quot Paginas.
Nec tamen Patriam poſt obitum deſerit
Qui toties optatiſſima deſcendit in pluuia,
Vt pluuium dixeris Cælum,
Niſi ſemper ſerenum videris.

Huic

Digitized by Google

Huic

Florentina Imperfectorum *Academia*
Perfectionem opperiens
Tutelari ſuo Præſentiſsimo,
Doctori Sapientiſsimo
Iugis obſequij Monumentum
D.

IMAGO M.V. AB ANGELO SALVTATÆ

INSCR. XII.

Procumbe venerabundus
Florentinum hoc Pantheon ingreſſure Viator
Ad Imaginis huius diuinum aſpectum.
Hęc omnium Diuorum, & Vnici Dei Virgo Mater
M A R I A.
Frontem ne exaſpera Florentinam ſi facio.
Nullorum Extera
Poſt Angelicæ Annunciationis Annum MCCLII.
Eadem vertente Die xxv. *Martij*
Salutem Ciuibus nouam allatura
In Vultu diuinitus animato Florentinam ſe fecit.
Cum reliquas Imaginis partes coloraſſet,
Et vna Pictor hæſitaret in facie,
Oratione, Ieiunijs, Vigilijs, Lacrymiſq;
Men-

Mentem, Dexteram, Oculos, & Colores
Inſtruxit, confirmauit, acuit, ac temperauit,
Virgineo Typo ſpirantẽ vt Imaginẽ cõformaret.
Orantis preces beneficio ſuperat Deus.
Mente formà conceptà
Dum breui è ſomno expergiſcitur
Abſolutiſſimum ſtupet Opus, ſe abſolutũ ab Opere.
Quod Terra veneretur Cælum exhibuit.
Felix Patria!
Quæ vel humanis in Artibus Cælum ſapis.
Picturam vt ediſcas
Græcis amplius opus tibi non eſt.
Cælum optimos exhibuit Magiſtros.
Fælix Pictoris hæſitatio!
Quæ Cæleſtem meruit Adiutorem.
Vel talẽ dicas Artificẽ vno à Cęlo potuiſſe doceri,
Ab vno Cęlo vel tantum Opus abſolui.
Et quidem omnium ſeculorum Opus
A nullo, niſi à ſeculorum Rege perficiendum.

Prima hæc eſſe debet Inſcriptio Pantheonis Florentini, quod in dies conſtruitur, ſed quoniam opus adhuc imparatum, hæc pauca Prodromi loco nunc habes.

S. AN-

S. ANDREAS CORSINI.

INSCR. XIII.

Sterilitatis Filius ANDREAS prodit
Prodigijs fœcundum Orbem facturus.
Puer tunc euigilauit ad gratiam,
Cum ſomnium Matris percepit:
Carmeli veſtiens lanas
Obſecutus vt Agnus, excubauit vt Paſtor.
Laruatum Dæmonem aperta eluſit virtute.
Vt Monſtra inferna compeſceret,
Ferrea ſe Catena perſtrinxit.
Diuinum Vnigenitum primò ſacrificaturus
Syluarum ſaltibus Abramus alter celatur;
Cognatos, & Notos vitans
Cæleſtes plauſus ſortitur in ſolitudine.
Imma Sacerdotij Cæleſtes Deo Primitias exhibēs
E Cælo Teſtes aduocat terreſtres dum fugit.
Per lacrymas genitus lacrymis plures regenerauit.
Oblatam Feſularum Infulam fugiens
Tutius vt lateat Silentiarios Incolas adit.
At honorum transfugam diſerta Infantis lingua
Cælum detexit.
Impaſtos Pauperes, paſtum ſe nunquam paſſus
Fa-

Famem vndequaque graſſantem
Ex ſua ditione tam ſolemni lege proſcripſit,
Vt nullibi linqueretur immunis;
Quin, vt pœnam luat, vniuerſum deſtinat Penu.
Quàm grata Cęlo vindiciæ!
Pauperibus ne diues deſit Ærarium
E Cęlo ſupplet Maria.
Armis periclitante Patria
Pacauit intima, perfregit externa.
Vrbana Bononienſium ablegaturus diſſidia
Vrbanus Pontifex V.
Legatum Andream Legionum vice decernit.
Didicit, & obſtupuit bonarum Artium Magiſtra
Diuinam Præſulis artem
Negare Bellum eſſe Victoriam duplicem,
Ex armis, ex animis reportare.
Quid ni?
Viuentem quod mirum reddidit,
Morienti quoq; prodigijs prodigum Cœlum.
Qua ſiquidem die Orientis Reges
Deum in carne mortalem ſunt venerati
Regum Regina ad immortalitatem reuocauit.
Immemorem tui nunquàm
Paſtorem hunc, Lector, ne crede.
Qui Te quondàm ab immani Hominum
Cæde liberauit; Ab inferorum inſultu
Præſens tutabitur. S. IO:

S. IO: GVALBERTVS VISDOMINI.

INSCR. XIV.

Odij Filius, Amoris Pater
IOANNES GVALBERTVS VISDOMINI
Hoſtili ſanguine iniuriã fraterna cadis deleturus
Ad vindictam incitatus à Patre,
Ad pietatem excitatus à Deo;
Egregiâ in Patrem tranſgreſſione
Vt illi accederet, ab hoc receſsit.
Supplicibus nempè Hoſtis lacrymis
Irarum extinctam incendium.
Hùc implacabiles Martis Filij:
Agonem nouum aperio.
Hùc Victoriarum auidiſsimi:
Gualbertus *de ſe, de Hoſte ampliſsimè parcendo*
Triumphauit.
Tale Victoriæ genus
Quos mereatur plauſus intuemini.
Inclinato Capite
Cruci affixus exhibet obſequium Chriſtus,
Et de pace conceſſa gratias rependit.
Crediderim tunc propriũ illi Spiritum tradidiſſe?
Niſi parcendo iam ſe oſtenderet habuiſſe.
O Gual-

O Gualberte *ter felix*!

Dum ad pietatem flecteris Ieſum flectis.

Ad Chriſti mortem mota eſt Terra,

Ad tuam pietatem motus ex Chriſtus.

Philoſophicum illud deſtruit:

Ab vno in aliud Contrarium

Non fieri tranſitum, niſi per medium;

Ab odio ad amorem momento dum tranſit.

At fallor:

Medium Aduerſarius Ioanni *Chriſtum propoſuit,*

Et Authorem vitæ dum adhibet mortem vitat.

De odio itaq; triumphans

Spolium Amoris factus Gualbertus.

Omnibus expoliatus nudo ſe dicat Victori.

Inclinatum ſiquidem Caput vt vidit,

Se vocari credidit, & reſpondit.

Io: Baptiſtæ ſuppar ſolitaria penetrans loca

Vallem intrat Vmbroſam

Virtutum illuſtraturus fulgore.

Mitis in cæteros

A Belluis in ſe ſolum didicit feritatem.

At quas ſyluas Belluæ antè frequentabant

Angelicis reddit Incolis frequentiſſimas:

Alter etenim Abraham

Non quoniam Deo Vnigenitum immolauit;

Sed quoniam Hoſtem non immolauit Iræ

Fi-

Filios ſuos, vt Cæli Stellas vidit multiplicatos.
Qui Inimico pepercit ſibi parcendi neſcius
Incruentum Enſem in cruentum vertit flagellũ.
In Florentino Paſtore detegens mercenarium,
Immò Lupum obcæcatum Gregem vorantem
Vt Lupum igne exterruit, & axterruit.
Magiſtrum conſpexiſti? eius Diſcipulum inſpice.

De Viſdominis dicit S. Io: Gualb. Abbas D. Diegus de Franchis in ſua Hiſtoria. Io: Villani Cronic. Flo. lib. 4 c. 16 de Dominis à Petriolo Vallis Peſæ, & Ferd. Leop. del Migliore in ſua Flor. Illuſtrata aſſerit ipſos de Ruffis fuiſſe. de Petroio.

S. PETRVS IGNEVS.

INSCR. XV.

Apoſtolicam Purpuram in PETRO IGNEO
Tibi primam gratulare, Florentia.
Vmbroſæ Valli *hoc debes clariſſimum Iubar*
Ideò PETRO Collatum,
Quòd à te vitioſas abſtulerit collationes.
Audiat Orbis Cælo etiam mirabile facinus.
Florentinã Eccleſiã Infulatus Prædo occupabat,
Quod gratis acceperat pretio diuendens.
Dignitates diſtribuebat Auaritia.
Virtutis locum occupabant Diuitiæ.
Quò ſublimior authoritas, eò culpa nocentior.

Squallebant Eccleſię auri mancipia facta.
Ad conſumendam Hæreticorum perfidiam
Quid aptius Igne?
Simoniacam igitur Pręſulis labem vt exprobret
Magiſtri iuſſu Flammarum experimento
Se Petrus *probat; Et vt tantum extinguatur*
Incendium, in Animarum Proditorem
Ardentes prodit in Flammas.
Quam benè dum nō vani Iouis Flam̄en Flammas
Ingreditur Sacerdotalem labem abſtergit!
Simoni ſcilicet Petrus ſemper obnoxius.
Felix omen!
Ignis auſpicatiſſimum Regnorum auſpicium?
Ergò Veritas imperabit.
Accenſa iam Pyra eſt. Tibi paratur ſcelus inferię,
Et dum in Ignem Petrus immergitur
Florentini emergunt ex Hęreſi
Quàm appoſitè!
Nil etenim præter Ignem Hæreſis Idræ
Pullulantia Capita compreſſiſſet.
Nunquàm ardentiùs,
Diuine Orator ad Populum perorabis,
Nunquàm Auditores faciliùs accendes,
Quam cum ex Igne:
Quantumuis taceas.
Flammæ ipſæ validas vertuntur in linguas,
Vt

Vt errorem euertant,
Et flexuoſus Ignis flexanimã componit orationẽ.
Spiritum Veritatis dixeris iterum
In Igne Terras illapſum, vt probaret Argentum.
Deſtruxit Scoriam Hęreſis Flamma,
Quæ Petrum ſeruauit.
Ab Igne triũphato Agnomẽ Petro fecit Prodigiũ.
Multum Florentia debes eò, quod ſibi acquiſiuit;
Plus à te, quod abſtulerit.

DE IMMACVLATA B. MARIÆ VIRG. CONCEPTIONE

Prò Academia Anno MDCLXVII. in Auguſto Templo S. Crucis PP. Min. Conuent. S. Franciſci Florentiæ habita, cuius Heroicum Symbolum LILIVM fuit cum Epigraphe MINORA PANDIT.

INSCR. XVI.

Quid Liliũ *iſtud pręſeferat, ſpectator, ne ambigas*
Virgo Maria *hæc eſt*,
Cuius Nomen ſi enumeres dicet:
En Haec Lilium

64	38	*Anagr. Numer.*	17	17	68
Virgo	Maria	*parum*	En	Haec	Lilium,

 Ar-

Argenteæ Virginitati
Auream fecunditatem coniunctam contemplare;
Felix Anna Mater,
Cuius Venter Virgineo Lilio vallatur.
Hoc ſiquidem in odorem ſuauitatis aſcendens
Sponſum, qui paſcitur inter Lilia
Inuitabit deſcendere,
Atq; Vnguentorum ſuorum fragrantia
Mortalibus iratum conciliabit.
Felix Adami progenies!
Tartarei enim contra Serpentis ictus
Collyrium inuenit
Hoc Lilio Filij hominũ exornati Dei fient deliciæ.
Tanta in ipſo non percipis? Ne mirere;
Maiora enim abſcondens Minora pandit.

PRO EADEM.

Quòd Anno MDCLXVIII. nullum Symbolum appoſitum. Laudatur conſilium.

INSCR. XVII.

Conticeſce Blatero,
Qui Phrenoſcemate nudam inſpiciens Academiã
Debito nudam Encomio dictitas.

Ma-

Mariæ *dotes vnam non exprimit Symbolum.*

Laudes quæris? Ne quæſieris extrà.

Numericum, ſi ſapis, erue Sacramentum.

Ante ſecula Genitæ cum auguſtũ Nomen impoſitũ

Aſſeres, Creatorem dixiſſe: Maria Virgo

Haec tibi laus

Quid ergò ab alio emendices?

Mariæ Nomen Genus eſt omnes honorum

Continens ſpecies.

Genus habes? Quid ad ſpecies recurras?

Cæteras pingens ille Mulieres

Elenam meritâ formâ pingere cum non valeret

Nomen ſolum appoſuit.

Mariç *nomen repræſentatur?*

Maximum hoc omnium Elogium.

Negas? Ipſam quidquid lubet effingas.

Congregam diuitias: ſupergreſſa eſt vniuerſas.

Adamantem nomina: duritiem neſcit.

Solem vocita: Eclipſim non patitur.

Mare dicas;

Tempeſtates, & naufragia non nouit.

Cælum appella: turbines non fouet, aut fulgura.

At Mare, & Cælum concedo Mariam;

Enumera Stellas ſi potes, enumera Arenas.

---

64 38	*Anagr. Numer.*	17 38 47
Virgo Maria	*purum*	Haec tibi laus

Excepto Deo cunctis ipſa ſuperior.
Deum dicere non licet?
Neque aliud dicas,
Et exaltare dum nequis ne deprimas.
Ne deprimas debitas laudes tribue.
Modum ignoras?
MARIAM nomina, tribuiſti.

PRO EADEM.

Cuius Argumentum Anno MDCLXIX. fuit Mulier Amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, & in Capite eius Corona Stellarum.

INSCR. XVIII.

Ergò ne Morti ſuccubuit Vita Parens?
Criminis tumultum nouit
Cum Deo cuncta componens?
Apage talia qui commentaris.
Amicta Sole tenebras neſcit.
Stellæ Caput eius circumeunt lumen feneraturæ.
Ex eius Pedibus candorem ſortita
Ab omni ſit immunis Eclipſi Luna.
Sol nunquam clarior eſt viſus,
Quam cum à Virgine puriorem excepit lucem.

Tua

Tũc verè Sol, & Luna ſteterũt in Habitaculo ſuo,
Cum in Virgine Habitaculum inuenerunt.
Imo tunc fortè Sol, Luna, Sidera
In Speculo ſine macula ſuas nouere maculas.
Plenitudine temporum aduenienté
Sphæram Gratia plenam ſortita
Cur circa Virginem cernis immota?
Tunc ſiquidem neſcierunt occaſum,
Cum Vitam inuenerunt in Virgine.

AD ÆDEM S. PHILIPPI NERII.

INSCR. XIX.

Adeſto Animo, qui oculis
Lector.
Diui Philippi Nerij *de Vita*
Vitæ Candorem exhauri.
Illius ad Ædem Veſtigio contendens
Illius virtutes è Veſtigio ſectari
Tibi contendendum intellige,
Vt
Qui admirator acceſſiſti,
Imitator recedas.

CORDIS LACRIMÆ
In Funere Sanctiſs. D. N. CLEMENTIS PP. IX. Anno MDCLXIX. Piſtorij expreſſæ.

INDICTIO FVNERIS.

INSCR. XX.

ACCVRRITE POPVLI,
DEFVNCTO
VECTIGALIA CLEMENTI PERSOLVITE:
NON MANIBVS AT OCVLIS,
NON NVMMIS, AT LACRYMIS.
IMMVNES QVI FECIT
VIVVS,
TRIBVTA ABVNDIVS EXIGAT
MORTVVS.

SECVNDA INDICTIO
Præ foribus poſita.

INSCR. XXI.

AD LVCTVS, CIVES, AD GEMITVS.
MAXIMVS ORBIS ARBITER CLEMENS
CRVDELI IN NOS FATORVM INDVLGENS
ARBITRIO
TERRESTRI AB EXILIO

IN

IN COELVM REVOCATVS,
EXIGVO IN ORBE
CINERIBVS SVIS COELATVR.
AMISSA CRETA
CLEMENTEM VERTIT IN CINEREM;
AMISSVS CLEMENS
VOS, CIVES, VERTAT IN LACRYMAS.

TERTIA INDICTIO
Ante fores.

INSCR. XXII.

CRVDELES ANIMOS EXVE, VIATOR,
QVI DELVBRVM INGREDERIS.
CLEMENTIA HOC TVMVLO TEGITVR,
CVI TANQVAM ORBIS PARENTI,
ECCLESIÆ FILII PARENTANT.
NE TAMEN EMORTVAM CREDAS.
VIRTVS MANET ETIAM POST FVNERA,
IDEOQVE IN EXTINCTIS CINERIBVS
PER ÆVVM INEXTINCTA VIGESCET.

INSCR. XXIII.

CLEMENTI NONO P. O. M.
In quo nouum Filium ſe adeptam
Piſtorium Patria non ſenſit,
At Parentem in Filio.
Vix ortus

a *Non*

a *Non ſolum* SVIS POLI ROS *viſus eſt*,
Verùm & Vniuerſis,
Bonis fœcundà quos conſperſit lætitia.
Quam appoſitè fatidico ex Fonte naſcenti
b *IVLII Nomen impoſitum*.
Quem manèbat Imperium!
Per quos aſcenderit gradus, Lector, ne quæras:
Propinquus meritis ſemper fuit.
Omnia alia cum haberet ordine miro diſpoſita,
Solas ætates habuit confuſas;
Senium videlicet in Iuuentà.
Purpuratorum iunctus Collegio:
Nullū ex Purpurà nitoris incrementū agnouit,
Quod ex virtute iam habebat in Summo.
c *CLEMENTIAM*, *quam ebiberat lacte*,
Et expreſſerat factis,
Vel ipſo Nomine præoptauit effundere.
Ex IVLIO itaq; CLEMENS factus
d *Priſci Myſticè renouauit Miracula*;
Dum ſitientibus Populis
Largum gratiarum non adaperuit
Fontem, ac Flumen.

a *Roſpiɫioſus* Anagr. pur. *Suis Poli Ros*. b Alluſio ad Iulium Cæſ. Rom Imperat. primum. c Clemens IX; in ſua ad Pontificatum aſſumptione vocatus eſt. d Alluſio ad S. Clèmentem Pontificem, qui ſitienti turbæ Fontem mirificè fecit ſcatere.

Apo-

Apoſtolico in Regno
Eum vnicè Principem eſſe cognoſcens,
Qui ſe vltimum facit, Propinquos ſuos,
Cum Primi eſſent, Nouiſſimos fecit,
Vt, cum Nouiſſimi eſſent, fierent Primi.
Omnium Amorem in ſe vnum conuertens,
Nullius Amore detentus eſt.
Immaculatam exercens Dominationem
A ſuis dominari non paſſus,
Eos tantùm
Fratres, & Coniunctos appellans,
Qui cœleſtis Patris facerent voluntatem,
Eius vices exercent, qui in Terras
Non miniſtrari venit, ſed miniſtrare,
E Domino in ſeruum glorioſè degenerans
Euangelicus Noſocomij viſus eſt Æſculapius:
Petri Hares
Lætabundos Vmbrâ Suâ reddebat Ægrotos;
Summo in Dignitatis Apice conſtitutus,
Humilia quæque reſpicere non deſpexit.
Pauperum cùm ſemper eſſet amicus,
Tunc apparuit Amiciſſimus,
Cum Congregationem Clericorum Pauperum
Matris Dei SCHOLARVM PIARVM
Ad Religionis Gradum euexit,

PIE-

PIETATI nempè CLEMENTIA
Semper Amica eſt.
Eccleſiæ incumbens Saluti
a *MEDICVM illi deeſſe non tulit*
Qui Morbis non mederetur modo,
Sed & prohiberet.
Migraturus è Mundo
Octo ſibi Cardinales ſuffecit:
Decedentem Solem
Sydera Sui luminis Hæredes dicas reliquiſſe.
Ab Humo hunc Hominem vis eſſet fas credere,
Cum Cælum in omnibus ſaperet;
Niſi in Terram videretur reuerſus:
Sed heu! Quàm breue tempus extinxit!
Nec mirum:
Aurei enim Temporis proprium
Breuitas eſt.

INSCRIPTIO XXIV.

CLEMENTIS MAXIMI
In Morte Cælo quid pluuiam ciet?
Terra ſuis lacrymis Comitans luctum
Amici munus obiuit,

a Sereniſs. ac Reuerendiſs. Principem Leopoldum Mediceum intellige, quem Sanctiſs. ipſe Pontifex Clemens in Purpuratorum numerum retulit.

Dum

Dum in partem doloris venit,
Vt amicam Terram ſoletur;
Immò proprias illi commodat lacrymas,
Vt largiori meliùs fletu dolorẽ ſuũ imminuat.
At fallor:
Ipſum è Terris dum attrahit lacrymatur,
Nam in orbe ſimilem
Non remanſiſſe cognoſcit.

INSCR. XXV.

Cur largos Cœlum effundatur in gemitus
Qui Sapis, ne quæras, Viator.
Ille ſolũ argumentũ pluuialis neſcit Monodiæ,
Fidei qui iacturam non noſcit.
Cretenſem Regiam,
Se inuito, Fidei Regi defectam
OPTIMVS CLEMENS
Vt Spiritu ſpeculatus è Cœlis,
Corpore quam è Terris non viſerat,
Dolore, quo Beatus poteſt, affectus eſt.
At quoniàm referta felicitatis in gaudio
Solæ illi defecerant lacrymæ,
In euidentiam doloris
E nubibus eliciendas conſtituit.

IN-

INSCR. XXVI.

CLEMENTIS TER OPTIMI funus hoc eſt,
Qui CRETA deperditâ,
In Cœlum nunquam amittendum admittitur.
O Felix, ò Infelix iactura!
CLEMENTI, ECCLESIÆ.
Illi, quià CRETAM cum COELO mutauit:
Iſti, quià cum CRETA CLEMENTEM amiſit:
Felix tamen,
Quià quem Paſtorem habuit in Terris
Patrocinantem habet in Cœlis.

INSCR. XXVII.

Qua Morte deceſſerit CLEMENS
Hic lege qui neſcis, Viator:
Saeuo Pietatis vulnere necatus eſt;
Summa ſcilicet eius Clementia
Othomannici Iugi ſauitiem,
Fideles pati eum videre non poſset,
Mortis ſauitiem ipſe maluit pati.
At quid ſauitiem mortis, non lenitatem
Appellem?
Quæ Auguſto CLEMENTIS animo vt vidit,
An-

Auguſtum Regnum fieri in Terris,
Dignius coronandum
Ad Cœleſte tranſuexit.

INSCR. XXVIII.

Pacis Amantiſſimus,
Bello dum Tracem CLEMENS oppugnat,
Creta Regiâ in Hoſtium poteſtatem redactâ,
Funeſtâ Pace religioſum Bellum finitur:
Quapropter, agere, ac pati fortia
Romani Principis eſſe cognoſcens;
Agere cum ampliùs viuendo non valeret,
Moriendo voluit pati.

INSCR. XXIX.

Vnius Exequias has eſſe, Lector, nè credas.
Non CLEMENS tantùm hoc in Sepulcro iacet;
Multorum hac Vrna Fatis repleta eſt.
Vniuerſa Fidelium lætitia,
Vnicus Infidelium mæror
Simul cum Ipſo ſepulta ſunt.
Solùm ergo ne defleas qui fidelis non eſt.

IN-

INSCR. XXX.

Gratias omnes complectens,
Imò in omnes effundens,
Tertio ſui Pontificatus Anno,
Supra Milleſimum Sexcenteſimum Sexageſimũ
NONO,
Decembris Menſis NONA Die
CLEMENS NONVS è viuis ſublatus eſt.
At lacrymas aliquando compeſcite,
Refrenate ſuſpiria, Fideles.
Totus CLEMENS amiſſus vobis non eſt:
Viuentem adhuc in IACOBO NEPOTE
Poſſidetis Imaginem,
Cuius ſi retinet mores, etiam induet Nomen.

INSCR. XXXI.

Cur propè naſcente Deo
Tam properè moreris CLEMENS?
Illius, qui Oraculorum Pater tam vixit
Sinè myſterijs eſſe mors ipſa non debunt.
Nonnè SIDVS OLORIS CLEMENS?
Qui candidi, Oloris vitam excoluit
Sideris mortem ſortitus eſt

Vi-

Vicinum Diuini ſolis exortum
Proprio veneratus occaſu.
Quid verò?
Mortuus non eſt Clemens
At qui Populos ad Cælum è terris adduxerat
Ad Deus Infantē in terris cupit è Cælis dirigere
Regum Ducem Sidus factum aſpicies?
Dicas;
Eſt, fuit in terris nuper quod Sidus Oloris.

INSCR. XXXII.

Argum exiſtimate Cælum, Mortales,
Qui Mille oculis Terræ bonis euigilat,
Ea ſed vt extorqueat Sibi.
Quinimmò
Argutum in Terras Venatorem credere fas eſt,
Qui Prædas perueſtigat, quò meliores confodiat.
En quomodò cum Sagittario
In CLEMENTEM omnium Optimam Prædam
Sagittis ſuis collimet.
Infælix terra, ſi frequens ità Cælum venetur;
In Belluarum Syluam
Noſter citò Mundus Degenerabit.

INSCR. XXXIII.

CLEMENTE MORTVO
Contrà Mortis Sæuitiem ne Sæuitatis, Mortales.
Quamquam peccauerit, rea iſta non eſt;
Vnus Reus Iuſtiſſimus CLEMENS.
Cæcam eſſe num non videtis?
Ex auditu tota illius Scientia procedit.
Cum ergò tot à CLEMENTE
Sanctiſſima Patrata Facinora
Audiret ex Famà;
TERTIVM non Annum, at Seculum
Credidit regnauiſſe.

INSCR. XXXIV.

Largum Vos in fletum effundite;
Extremitàtem ne timeatis in luctu
Extrèma hic vitioſa nõ ſunt, at ſola mediocritas.
In communi omnium iacturà
Omnium cuiq; oculis plorandum eſt.
Vnius CLEMENTIS in funere
Totius Eccleſiæ viduatio defletur.
Nemo non Pupillus,
Fidelium PATRE defuncto, niſi infidelis.

IN

VIRTVTVM SPECIMEN
In Funere NEREI Cardinalis CORSINII in inſigni Templo B. Mariæ Annunciatæ exhibitum Tertio Idus Nouembris MDCLXXVIII.

INDICTIO FVNERIS.

INSCR. XXXV.

NEREO CORSINIO
PHILIPPI MARCHIONIS, ET SENAT. FILIO
MARCHIONIS BARTHOLOMÆI FRATRI
S.R.E. PRESBITERO CARDINALI
SAPIENTI, IVSTO, MAGNANIMO.
RELIGIOSÆ PRVDENTIÆ,
PLÆQ; DEXTERITATIS FAMA NOTISSIMO
QVI XXX. ANNORVM SPATIO
PER SVPREMOS HONORVM GRADVS
ASCENDENS.
SVB DIVERSA FORTVNA
EADEM FVLSIT VIRTVTE.
ITA QVAS HABVIT DIGNITATES GESSIT,
VT, ORBIS PLAVSV, VNICAM MERVERIT
QVAM NON GESSIT,
AC DVBIVM DE SE RELIQVERIT
EX DIGNITATE,
AN EX VIRTVTE METIENDVS

VTRAQVE EMINENTISSIMVS.
MOESTA DEIPARÆ SERVORVM RELIGIO
AMABILISSIMO PRINCIPI,
PROTECTORI VIGILANTISSIMO
ÆTERNVM GRATI,
ET OBSEQVENTIS ANIMI
MONVMENTVM
HOC EXEQVIARVM MVNVS PERSOLVIT.

AVITAM NOBILITATEM ADHVC
Puer Virtutibus auget.

INSCR. XXXVI.

Felicibus auſpicijs in hanc Nereus *lucem prodit*
Clariorem ipſe daturus.
Quippequi Progenitorum Inſignia
In ſe vno colliget vniuerſa.
Maioribus hoc debebit, quod in ipsā trāsfuderint,
Hoc ei Maiores, quod cumulauerit.
Quis non mirabitur Nereum?
Ori Natura, Studium linguæ,
Menti Virtus tribuit elegantiam.
S. Andreæ Corſini ſortitus ſanguinem,
Sortiri quæret & mores.
Ingenuitate prudentiam adeo temperauit;
Vt in ipſo ſine contumelia ſit veritas,
Sine adulatione laudatio.
Liberaliter eruditus, ſtudijs Legū ſe mancipans
Iuris

Iuris Oracula de ſuis moribus fudit.
Magnis adhuc Puer præludens
Alligari non debuit vni Ciuitati
Toti penè Chriſtiano Orbi paratus.
Quare vt virtutem ſuam publicam faciat,
In publicum Orbis Theatrum Laureatus
Prodit Ephæbus.

PRIMVS AD ROMANAS DIGNITATES Aſcenſus.

INSCR. XXXVII.

Hac vſq; ſibi. Nunc alijs operoſa Corſini *Virtus.*
In Innocentij Aulam eius adſciscitur innocentia,
Vt inter Apoſtolicæ C*ameræ Clericos*
Summo aſſiſtat Antiſtiti.
Habuit Dionyſiũ ſuum Romanus ille Areopagus,
Apollinem Eccleſiaſticus Tripus,
Inauſpicatò Sphinx acceſsiſſet
Oedipum expertura.
Virginẽ ſeruauit Iuſtitiã, quia ſemper impollutã.
Oculatiſsimis Iudex
Nil, niſi cœlum cernebat, dum decernebat,
Ne obcæcaretur.
Nemo tandem ab eo læſus deceſsit,
Niſi læſor acceſſerit.

AVENIONIS TVMVLTVM SEDAT.

INSCR. XXXVIII.

Audi Fama nouum Virtutis opus.
Nerei *lingua furentis arma cõprimit Ciuitatis.*
Auenionis in Legatione
Silsit Ciuilis tẽpeſtas, vbi eius tonuit eloquentia.
Quantum & nolentibus profuit!
Dum alterius partis reſtitit libertati,
Vtramq; ſecuritati reſtituit.
Ac dum vtroſq; placauit, vtriſq; placuit.
Vide quid vnus momento potuit Nereus.
Ius Plebi, Optimatibus dignitatẽ, Vitã Ciuitati,
Ciuitatem Pontifici conſeruauit.
Nec mirum. Egidem Pallas exhibuit,
Qua ſeditionis Gorgonem ſuperaret.
Mercurio maiorem dixeris Nereum,
Qui ne dum nunciat pacem, ſed parit.

RO-

ROMANI ÆRARII TRIBVNVS
Eligitur.

INSCR. XXXIX.

Quàm extrà periculum Nerei *foret Fidelitas*,
Vel indè, *Lector*, *dignoſce*.
Alexander VII. Pont. Max.
Rigidus Animorum expenſor,
In grauiſſimis ſæpè facto periculo,
Dignū putauit, *cui Eccleſiæ Theſauri crederentur*.
Quam optimè factum dixeris!
Ità Principis auxit opes,
Vt ſubditorum non imminueret:
Tunc noſcens Opulentius Monarcharum pœnu,
Cum nemo Ciuium egenus.
Imò maiorem Theſauri portionem
In ſubditorum animis conſeruauit.
Principis Ærarium ditius ducens
Amorem Populorum.

S.R.E. CARDINALIS CREATVR.

INSCR. XXXX.

Fortunæ donis non acquieſcens
Ditiora ex Sapiẽtià quæſiuit Nereus,*& obtinuit.*
Emerito Virtutis greſſu
Cum Munia cuncta luſtrarit,
Demum Purpuram illuſtrauit,
Qua Orbe plaudente, meritis exigentibus,
Vel inuidiæ conſenſu à VII. Alex. *donatus.*
Magnarum Rerum Mens ità capax,
Vt vnus omnes, omnes non vnum æquarent curæ.
Decem, & ſeptem Congregationum
Publicis ità rebus ſuffecit,
Vt otioſum crederes, cum ſibi occupatum videres.
Sapientiæ Statarium dixeris,
Qui Cælo ſimilis in motu quietem adeptus.

FERRARIENSEM LEGATIONEM aggreditur.

INSCR. XXXXI.

Ab Alexandro VII. *Legatus Ferrariam miſſus*
Quæ niſi Alexandro digna fecerit Nereus?

Gor-

Gordianos difficultatum nodos
Ingenij, non ferri acie diſſoluit.
Virtus ad omne maior experimentum
Si quondam Populum, nunc Reges,
Si Ciuitatem edauit, nunc Regna.
Inter Pontificem, Venetoſque
Id ſua compleuit dexteritate,
Vt omne ſiniſtrum auertens,
Tot Pacis amicos obſides,
Quot Regni Capita fecerit.
Rarum Sapientiæ dicas miraculum;
Qui Venetos noſti tot eſſe Reges, quot Proceres.
Cunctis tandem compoſitis,
Neutrà victà, vtràque parte victrice,
Vtramque ſibi deuinxit.

SACRI ORDINIS SERVORVM B. M. V.
recipit Protectionem.

INSCR. XXXXII.

Euge Seruorum *lætabunda* Religio:
Patrem in Patrono inueniſti,
Qui te recipiens in ſua præſidiũ præſtat, & decus.
Nunquam liberior, quam cum abdicta Corfinio
Nunquam Religioſior, quam cum liberior.

Hoc

Hoc primum Mobile
Motus inferiorum non retardat Sphærarum:
Magni Conſilij Angelus
Sapientià cuſtodit, authoritate defendit.
Tam religioſè præfuit,
Vt Religionis authoritatem ſeruarit
Dominium extenderit, cumulauerit dignitatem.
Manum eo ſolum admouit,
Subiecta vt capita vel tutaretur, vel honeſtaret.
Tot Protectoris merita
Pupilla (heu!) nunc Religio pupillis loquitur.

PLVRIMIS ORDINEM IPSVM AVGET Beneficijs.

INSCR. XXXIII.

Plaude Religio Protectori beneficentiſſimo,
Qui latiùs poſſit vt beneficia diffundere,
Nouis diffundendam curat Cœnobijs.
Quò dulci lacrymarum pane
Corda ſatiùs exaturentur:
B. Mariæ Dolores publico ritu celebrandos
Singulis impetrat hebdomadibus.
Quid verò? Sola ne Seruorum *Clauſtra*
Corſinij *claudent Patrocinium?*

Pa-

Paterna Ciuitas, Romanum Caput,
Tota Catholica Eccleſia
In Philippo Benitio, & Iulianà Falconerià
Eius auſpicio Sanctitatis augeri iubar gauiſa.
Hinc Hoſpes coniĳce,
Quàm Cælo amicus fuerit Nereus,
Qui prò Cælitum glorià tantum deſudarit.

PATRIAM CORREPTVS MORBO reuertitur.

INSCR. XXXXIV.

His occupatum curis Apoplexia occupauit.
Corpore diminutus, non Mente
Agere cum amplius fortia non valeret,
Pati docuit æquè didiciſſe.
Quæris cur patrios repetat Lares?
Romam, quæ ſemper operoſum viderat,
Videre otioſus non tulit.
Fallor. Tantum nouit in agendis negotĳs,
Vt iniuriam Natura non crederet
Dimidium demere,
Cum ſui pars cunctis vna ſufficeret.

AD

AD PATRIAM PERVENIT, ET PAVLO poſt reditum moritur.

INSCR. XXXXV.

Magno Filio plauſibus occurre Florentia.
Meritis, & honoribus plenus,
Vt in ſinu Matris quieſcat,
Tibi ſe tandem reddit Corſinius.
At, heu, quam breui vixit in Patria!
Diù tamen, quià totus ſibi.
Naturæ legibus tam obediens dum vixit,
Vt nulla, vel in morte, mereretur pœna torqueri.
Inopinato deceſſit obitu,
Non tamen imparatum dixeris obyſſe
Virum Cælo maturum.
Suum viuere fuit mortem diſcere.
Qui Platonicè vixit, Platonicè expirauit.
Huc vſque lacrymas, Lector.
Mors extinguit Heroum Vitam,
Non Famam.

MO-

MONIMENTA DOLORIS
In Funere FERDINANDI II. Sereniſs. M.E.
Ducis V. in Templo Inſignis Hoſpitalis
S. Mariæ Nouæ Florentiæ expoſita
Anno MDCLXX.

INDICTIO FVNERIS.

INSCR. XXXXVI.

VIDVA
ADESTO ETRVRIA:
GAVDII TVI, ET CORONÆ TVÆ
IN MAGNO FERDINANDO SECVNDO
QVINTAM
LACRVMABVNDA CATASTROPHEM
DEMIRATOR.

INSCR. XXXXVII.

Ferdinando Secundo
Excelſæ indolis præſtantia Nemini Secundo
Magno Etruriæ Duci
Optimo, Pijſſimo, Auguſtiſſimo
Rerum Peritia, Maieſtate, Prudentia,
Longe Inſigniſsimo,
Regum Decano,

Ma-

Magno Nomine, Virtutibus Maximo,
Qui Nomen Imperatorium
Imperatorio non exæquauit Animo, ſed ſuperauit.
Eo naſcente, Noua in Cœlo conſpecta Sydera
Cæleſtem illi inditam Mentem dicas portendiſſe.
Exteras Nationes excurrens
Omnium Virtutes intulit in Patriam.
Primo ætatis flore Florentiæ imperans
Maturitatis fructus ipſo uere uberrimos protulit.
Dulcis omnibus, acerbus nemini
Pater maluit haberi, quam Princeps.
Conſiliarios ſuos vt Principes veneratus,
Cuius Principes Vniuerſi
Maximum ſunt venerati conſilium.
Ab Euangelio Politiam ediſcens,
Felicitatis fundamentum didicit Pietatem.
Decipior:
Ediſcere non poterat;
Quam cum ipſo exhauſerat lacte,
Adeptus erat cum Spiritu.
Quæ Auſtriaco, & Mediceo ſpatiabātur in Regno,
Ex vtroque progerminans propriâ copulauit
In Mente.
Exceſſus omnes cum ſemper odiſſet,
Eos Charitatis vnicè amauit.
Abundantiam in Fame, Securitatem in Bello,

Sa-

Salubritatem in Lue,
Munificentia, Virtute, Prouidentia,
Princeps, Tutator, Pater ſuis populis conſeruauit.
Aliorum Luxus transferens in virtutem,
Priſcas Romanorum moles
Imitatus eſt ad pietatem
Hanc n. auream pietatis Domum Regij ſui Iuris
Dominus ipſe, ac Patronus tantopere amplιauit,
Vt potiùs Author, quam Auctor videatur.
Auctà mole, auctà, & Amoris Molimina,
Quibus
Pietatem adeò redolens Inſigne hoc reddidit
Noſocomion,
Vt in odorem Vnguentorum Ipſius
Cateruatim ex vniuerſo Orbe gentes accurrant.
Eo Principe
Multiplices viſi ſunt florere Æſculapij.
Populos ſuos
Ab alienigenis cum reddidiſſet immunes,
A mortis etiam faucibus
Laborauit quandiù potuiſſet defendere,
Ab ocio nempè prorſus abhorrens,
Ne ocioſum quidem paſſus eſt habere Cognomen.
Quapropter, cum in eo primùm Pietas enituerit,
Inclytum hoc Noſocomion
Ampliſsimum Pietatis Theatrum.

De

De tanti Principis defectione
Extrema ſentiens Doloris
Luctuoſum hoc Cenotaphium
Quamprimum excitandum curauit.

INSCR. XXXXVIII.

Coſmi Secundi,
Ac Mariæ Magdalenæ Auſtriacæ
Magnorum Etruriæ Ducum
Maximam Prolem Ferdinandum
Venerare, Viator.
Cuius ad Ortum
Cœlum quoq; Noua eſt accenſum in Sydera
Lætitiam explicaturum.
Immò nouas Faces accendit,
Quibus donum ſibi impertitũ Etruria clariùs
Agnoſceret.
Iupiter .n. tanti Principis viſurus Incunabula
Inſolito, nouoque Satellitio
Conſtipatus affulſit.
Florentiæ Natus
Mirà Virtutum omnium Fragrantià repletus,
Ephabus adhuc longinquas oras inquirens,
Quantam maturitatem vel ipſis in Floribus
Etruria pariturias

In

In ſe vno fecit agnoſcere.
Zonas diuerſas excurrens
Semper in ſe retinuit Temperatam.
Iuſtiſſimus iucunditatis Expenſor,
Honeſtatem habuit pro voluptate.
Mēdacij hoſtis Scientiarū euidentiā exquirēs,
Ideò benè ſcire ſemper optauit,
Vt optimè operaretur.
Nouus adhuc in dominatione,
Vetuſtiſſimam prudentiam præſetulit.
Vetuſtus Imperio
Noua in dies Amoris incitamenta
Populos ergà reperijt,
Amor nimirum Inuentionis Cauſa.
Subiectis Amabilis
Omnem timoris cauſam in inimicos contorſit,
Quos Triumphorum materiem expertus eſt.
Numquam imminui, ſemper excreſcere
Sibi vidit Imperium;
Felicitatem videlicet Tanto Principi
Famulari opinati ſunt Populi.
Cum in omnibus Magnus extiterit,
In hoc Maximus viſus eſt,
Quod cunctis Parem ſe gerens,
Etiam Minimos dignaretur.
Omnimodam diligens venationem,

In animorum quam mirificè excelluit.
Conſumatus Imperio
Integerrimus Vniuerſis enituit.
Hominibus non ſine Humanitate autumnus
Imperandum,
Ea vel ergà inhumanos
Nunquam indignatus eſt vti.
Qua motus numeris omnibus abſolutam
Subiectis Populis Felicitatem exoptans,
Morte ſua cum deberet reddere luctuoſos,
Eos lacrymari non paſſus,
Prolem *ſuam ad Regna Natam, & Faſces*
Adeò conſilio grauem reliquit,
Vt quam Regalem habuit Prudentiam,
Totam in Filium *dicas transfuliſſe.*
Nè ergò Ferdinandum *defeciſſe putetis, Ciues.*
Sed tantùm innodaſſe ætatem in Coſmo.

IVSTA IN TEMPLO SS. TRINITATIS Monacorum Congregationis Vallis Vmbroſæ Florentiæ eidem perſoluta.

INSCR. XXXXIX.

Principis ſperata Felicitas
Veſtras, Ciues, imminuat lacrymas.

E Val-

E Vallis Miſeriâ, & ex Vmbrâ Mortis
Ad Sempiternum Colliũ Æternorũ Splẽdorẽ
Candidatus Ferdinandi *Spiritus*
Ima Terra non patiens euolauit.

INSCR. L.

Populorum lacryma
Illius ritè Principis debentur in Funere,
Cuius opportuna non fuerunt in Vita.
Populorum incolumitati datus è Cælo
Ferdinandus
Illorũ non minùs felicitatem amauit, quã ſuã;
Immò ſuam eò ſolum amauit,
Vt in ſubiectos effunderet.
Tanti ergò Principis funus
Lacrymis irrigandum,
Communis direptio Felicitatis expoſtulat.

INSCR. LI.

Virtutès Omnes
In Vno Ferdinando *defeciſſe*
Quid ploras, Viator?
Diù operoſa, nunc quoq; operantur exemplo.
Malè luges defunctas in Principe

Quas ſuſcitare potes in Te:
Nè ergò cum ipſo Mortuæ tumulentur,
Dolorem ſubeat imitatio.

IVSTA A C.R. SCHOLARVM PIARVM eidem perſoluta.

INSCR. LII.

Ferdinando Secundo
Magno Etruriæ Duci Quinto
Clementi, Iuſto, Magnanimo,
Optimarum Artium Mecenati,
Publicæ tranquillitatis Authori,
Regni Propagatori Pacifico,
Hoſtium mitiſſimo Triumphatori,
A Peſtilentia Seruatori Vigilantiſſimo,
Famis Propulſatori Munifico,
Acerrimo Iuſtitiæ Propugnatori,
Egregio Fidei Defenſori,
Etruriæ Patri, Italiæ Præſidio,
Europæ Arbitro, Orbis Oraculo,
Collegium Florentinum Cleric. Reg. Paup.
Matr. Dei Scholarum Piarum
Ob præſtitum Patrociniũ, ob Religionẽ ſeruatã,
Ob impetratam Decus

Te-

Perenne hoc Gratitudinis Teſtimonium P.
Obijt Nono Kalendas Iunij An. Sal. MDCLXX
Ætatis LIX. Menſ. x. Die x.
Regni Ann. xxxxix. Menſ. ij. Die xxvi.

SEPVLCRALIA
IN OBITV CHERVBINI MALASPINÆ
Ex Dominicanà Familià, Biturgienſis Epiſ.
Publicę inſerta Pompę Anno MDCLXIX

INDICTIO FVNERIS.

INSCR. LIII.

FVNEREAM PERIPETIAM
QVÆ CONFLVIS CONSPECTVRA,
BITVRGIA,
DISCE, AN QVID LONGÆVVM
SVB SOLE?
CHERVBIM MORTVVS EST.

INSCR. LIV.

Solidum gloriæ genus
Ex proauorum Stemmatibus vt deſumendum
Gloriabunde Mortalis addiſcito.
Cherubinus Malaſpina
Nè Auitæ Aquilæ *Nepos degener videretur*,

Nigrum Dominici veſtiuit Amictum;
Albo tamen coniunctum candoris indicio.
Quin Aquilinos imitaturus intuitus
Aquinatem Solem contemplatus eſt.
Thomæ quam dignus Aſſecla!
Ità Doctorem ſecutus,
Vt integritate Sapientiam,
Sapientia integritatem
An ſuperauerit anceps Cherubim *in vtraque.*

INSCR. LV.

Expaueſce
Diuinæ legis Contemptor.
Fanum hoc, vt Paradiſum ingredere,
Cui Cherubim *præeſt,*
Non flammeo, a *vt quondam, Gladio,*
Sed Malâ *rebellibus* Spinâ *communitus.*
Dominici Canis Vigilantiſſimus Filius
Ad cuſtodiendum Chriſti Gregem eligitur.
Cæleſte plane conſilium!
Vt qui ſibi imperare probè iam nouerat,
Imperaret & cæteris.
Doctrinâ Cherubim b
Vniuerſos exemplo Seraphinos c *effecit.*

a Gen. c. 1. 3. b Cherubini attributum Sapientia.
c Seraphini amor in Deum.

Biturgienſem Eccleſiam ità cuſtodiuit vigilijs
Vt à Serpentis omninò tutaretur ingreſſu.
Sancti Sepulcri
Nullos in Vmbrà Mortis patiens iacere,
Non niſi Sanctè viuendum
Opere priùs oſtendit, quam Verbo.
Ac tandem,
Ne Cherubim videretur Corpore, vt Mente
Biturgienſibus ſuis
Reliquias humanitatis reliquit.

INSCR. LVI.

Cherubini Malaſpinæ
Sancti Sepulcri Præſulis
Sepulcrum cernis, Viator:
Qui Roſeus futurus in cæteros,
Mala ſpina factus in ſe.
a *Aniceti Factis nomen adæquans,*
Semper Inuictus apparuit.
Terram, ex qua Spina iſta prorùpit
Sterilem putas?
Amæniorem, Fœcundiorem effecit.
Fœlix Terra, b *quæ huiuſcemodi Spinis*

a Anicetus, Inuictum ſignificat. b Spinas, & tribulos germinabit tibi. Geneſ. 3.

Frequentèr ſcateret!
Criminis partus ſi quondam Spinæ fuerunt;
Iam credendæ ſunt Gratiæ.
In Rubo a *Deus quondàm apparuit;*
Nouiſſimè viſus in Spina,
Quæ diuini Amoris flagrans ardore,
A Concupiſcentiæ flãmis incombuſta remanſit.
Hàc Spinà ſemper puncta b *Venus,*
Aliquandò pudorem induere docta eſt.
Qui Botrum de Spinis, c
An queat colligi dubitas, Spinã iſtã inſpicito,
E quà non Vuam inquam,
Sed Nectar Dei ore deguſtandum erupit.
Iis Animæ Vineam
Nunquam demolitæ ſunt Vulpes, d
Qui Aurem ſuam e
Sepierunt hàc Spinà,
Quæ ad Eccleſiæ Meſſem,
f *Non ſuffocandam, ſed muniendam, exorta,*
Suo munere iàm perfuncta,
Inter Cedros Libani collocatur.

---

a Exod. cap. 3 b Venerem Spina in calcaneo vulneratam fuiſſe fabulantur Poetæ. c Nunquid colligunt de Spinis Vuas? Matth. c. 7. c Capite nobis Vulpes paruulas, quæ demoliuntur Vineas. Cant. 3. e Sepi aurem tuam Spinis. Eccl 28. f Et ſimul exortæ Spinæ ſuffocauerunt illud. Matt. 2.

IN-

INSCR. LVII.

Ferrantem Anicetum
Vt creauit Omnipotens,
Nouã ſibi Fœderis Arcã conſtruere meditatus:
Præſignatam ab ipſo Materiam
Contempleris, viator, qui hanc adhuc ignoras.
En Albam a *Spinam ab oculos tenes*
Gẽtilitio Malaſpinarũ *in Stẽmate præfulgẽtẽ.*
Ferrantis *vitam ſcrutare;*
Ipſius in corde legem aſſeruatam reperies.
Huic, vt foris non minùs, quam intùs
Aureus eſſet,
Ferreum nomen ademptum.
Ne Cherubim Noua Arcæ deeſſent,
Cherubini *Nomen impoſitum.*
Dagon Idolum cum Arcâ iſtâ
Quieſcere nunquam eſt viſum.
Oraculum in ipsâ collocatum à Deo
Reſponſa certa, Diuina conſilia patefecerunt.
Propitiatorium comperÿt
Quiſ-

a Vbi habemus in vulgata editione Exod. 25. De lignis ſethim in hæbrea vertitur De lignis spinæ, vt docet Abulensis qu 6. in eum locum. Et Spinæ Albæ simillimum fuiſſe, Vgo Card. teſtatur. Oſea 14. Compingite mihi Arcam de lignis spinæ.

Quiſquis irritatum criminibus Deum
Leniorem per illam inuènit.
Vt Biturgienſes
Hoſtili ab inferorum incurſu defenderet,
Arcam iſtam Biturgiæ collocauit Altiſſimus;
Vt perennè quieſceret, è Biturgià
Cæleſtis in Ieruſalem tranſtulit Sanctuarium.

INSCR. LVIII.

Siſte qui pergis, Viator, ac lege.
Mortalitatis teſtimonium,
Quod Suis Tibi Cineribus
Cherubinus Malaſpina *reliquit, intuère.*
Immortalitatis exemplar,
Quod ſuis expreſſit Moribus apprehende.
Ex Nobiliſſimis iſte
De Foſdenouo Comitibus Genitus
Vix amplitudinem auità Domus aſpexit,
Cum deſpexit,
Dominatum omnem anguſtum putans,
Qui Terræ limitibus perſtringeretur;
Tanta ſcilicet Regia Mentis Maieſtas,
Vt ſpatiari, niſi in Cælo, non poterit:
Quapropter Auguſtiſſimam Dei ſeruitutem
In Sancti Dominici Religione

Ex

Ex corde complectens,
Apoſtolico ætatis ſuæ Anno
Apoſtolicam Vitam aggreſſus eſt,
Cui ne Apoſtolicum etiam Munus deeſſet,
Ad Sancti Sepulcri Epiſcopatum euehitur,
In quo meliùs, quam ſuis in Sepulcris Plato,
Diuinam Philoſophiam,
Sanctitatem videlicèt,
Mortis memoriâ cum diutiùs docuerit,
Communi Optato tamèn maturiùs
E mortalium oculis ereptus,
Ad ipſius obiectum,
Cui ſemper deſiderio fuit coniunctus,
Etiàm ſpiritu iungitur.

INSCR. LIX.

Terrenas excute cogitationes
Delubri Huius Ingreſſor.
Ad Religioſas inuitaris Exequias;
Cherubini Malaſpinæ *videlicet,*
Quē, vt Sapiētiā mortales docerētur in terris,
Mortalitatis amictu velauit Omnipotens.
Cum diù Cherubinus
In ſeculo morari non poſſet;
Duodennis in Paradiſum reuertitur;

Do-

Dominici Religionem intellige,
In quà, cũ verè Cherubinus agnoſceretur à cunctis
Vt propriam in cæteros ſapientiam effunderet,
In Magiſtrum eligitur.
At locus vnus tantã continère Virtutẽ nõ poteſt.
Quam ob rem Prouinciæ præficitur vniuerſæ.
Hinc, vt Viuifico Spiritu emortua ſuſcitet corda;
Biturgiam Præſul factus immittitur.
Nunc verè felix hæc Ciuitas
Sanctum appellatur Sepulcrum,
Quæ Cherubini *continet Cineres.*
Corporis monumentum qui cernis,
Animi monimenta qui legis,
Ipſius ex Vita diſce benè mori,
Bene viuere ex Morte.

TE-

TESTIMONIA VIRTVTIS
In Funere IOANNIS FRANCISCI RICASOLI Florentiæ exhibita in Templo Inſiſignis Hoſpitalis Sanctæ Mariæ Nouæ Anno MDCLXXIII.

INDICTIO FVNERIS.

INSCR. LX.

HVC, FLORENTINI CIVES, ADESTE:
ARTEM, QVA SVPERETVR FATVM
EX CONCIVE DIGNOSCITE.
IOANNIS FRANCISCI RICASOLI
NON MORTVO CINERI IVSTA,
SED IMMORTALITATI VIRTVTVM
IVSTOS HONORES PERSOLVIMVS.

INSCR. LXI.

Ioanni Franciſco Ricaſoli
In sacrà Hieroſolymitanà Militià
Maiorum inſignum Equiti
Sancti Sepulcri, Sancti Iacobi in Agro Corbolinio
Et Sancti Io: Baptiſtæ Commendatori:
Melitenſium Triremum iteratò Duci,
Su-

Supremi Magiſtri Quæſtori,
Etruſcarum Claſſium Præfecto,
Qui auitâ laude clariſſimus, & ſuâ
Multiplicis Dignitatis nitorẽ proprio cumulauit.
Hic ad Chriſtianæ Reipublicæ tutamen natus
Acerbam ætatem præmatura virtute condecorans
Ad arma vix aptus
Ea in Chriſti hoſtes implacabilis hoſtis perſtrīxit;
Quibus adhuc Tyro
Emeritis militiæ Ducibus
Vix imitanda in ſe expreſſit facinora.
Eò periculis imperterritus,
Vt ipſa pericula frequentèr irritaret,
Cæteris ſecuritatem vt pareret.
Innumeris fluctuantis Mediterranei periculis
Immotæ ſuæ fortitudinis periculum fecit.
Prælia magis amans, quam præmia,
Vulnera magis, quam munera,
Illa exquiſiuit, hæc recuſauit.
Ferro Turcis æquè aduerſus, & Auro,
Eo Melitem defendit,
Hoc, vt ſe defenderet, communiuit.
Vt neſcias, an impugnato Ferro,
An profuſo Auro clarior,
Quo cæteris frugifer, ſibi vni vixit frugalis.
Semper peregrinatus

Per-

Permanens Deo Habitaculum a præparauit.
Tot igitur Opibus, Operibus
Effuſis, Patratis, inſignis
Vaticani Oraculum
Clem.X. Pontificem Optimum Maximum
Suæ Præconem Virtutis meruit audire,
Ac tandem septuagenario maior
Felicitatem ſibi, Familiæ Gloriã, Patriæ Decus,
Omnibus ſuſpiria, ac deſiderium ſui Reliquit.

INSCR. LXII.

Bellatricis Iconem Pietatis
Ioannem Franciſcum Ricaſolum
Florentiæ Virtus effinxit,
Quam Fidelis præſidio Infidelis terrori,
Vniuerſus venerationi Orbis ſuſpiceret.
Bellicę fortitudini religioſam pietatẽ adnectens,
Ideò Barbaros exoptauit ſubijcere,
Vt verà Chriſti libertate donaret.
Semper aſſuetus triumphis,
Ne hoſtium aliquis ſupereſſet immunis,
Maximà cæterarum Victorià
De ſe omnium inuictiſſimo triumphauit.
Tanta videlicet Virtus
Niſi à ſe ipſa vinci non potuit.

a Marmoreum Ciborium eius ſummis ſumptibus con-ſtructum intellige.

INSCR. LXIII.

Conticeſcat Græcia Fabularum Parens;
Veridicæ Florentini Gygantis
Cedat Hiſtoriæ.
Ioannes Franciſcus Ricaſolus,
Vt amicum Cælorum Regnum
Violentus arriperet,
Melitenſi in Inſulà
Sublimem excitauit Arcem,
Amatam vim illaturus.

INSCR. LXIV.

Pròh qualia Amoris machinamenta!
Ioannes Franciſcus Ricaſolus
Animatum Fidei Propugnaculum
Sæpè cum hoſtibus conflictatus,
Semper inuictus, ſæpè triumphans,
Duro mortis imperio
Corporis tandèm ſpolium dediturus,
Ne à Defenſione deficeret,
Marmoreum ſuſcitauit propugnaculum,
Vel defunctus æternùm propugnaturus.

INSCR. LXV.

LEOPOLDO MEDICEO
Coſmi II. & Marię Magdalenæ Auſtriacę
Magnorum Etrurię Ducum Filio,
Ferdinandi II. Fratri, S.R.E. Principi Cardinali
Optimo, Sapienti, Magnanimo
Literatorũ Męcenati, Mæcenatum literatiſsimo
Piorum omnium Operum Protectori,
Egenorum perfugio,
Singulis in Virtutibus ſingulari.
Hic tantà Mentis fęlicitate,
Vt edocentes Puer adhuc intelligẽtià pręueniret,
Ità publicis Populorum dicatus negocijs,
Ac ſi nihil ſcientiarum ſtudijs daret,
Ità ſciẽtijs addictus, ac ſi nihil negocijs cõcederet.
Tantę Iudex integritatis,
Vt omne vitaret Arbitrium.
Riſit Roma priſca Etruſcorum Oracula,
Priſcos ſacrorum Magiſtros,
Cum noua Leopoldum *percepit*
In Vaticano loquentem.
Prodigium hoc, Etruria, tibi pręſtitit Leopoldus,
Vt optimè in ſummà
Regiæ Maieſtate ſummũ, & Amorẽ admitteret,

Quo vel minimos, tanquam æquales tractaret.
Publicam Religionis ſuæ iacturam
Tanto Defenſore defuncto Florentinũ Collegiũ
Cl. Paup. Matr. Dei Schol. Piar. domeſtico luctu
Lacrymatur.
Obijt IV. Idus Nouemb. Anno Iubil. MDCLXXV
Ætatis ſuæ LVIII. Die IV.

INSCR. LXVI.

ALEXANDRO
Caroli Strozzi, & Conſtantiæ de Alexandris filio
Patritio Florentino, Aretij Præſuli,
S. R. I. Principi, Ceſę Comiti,
Qui Clariſſimo vtrinque Genere natus,
Doctrinà tamen clarior, & Sanctitate prefulſit.
Labia eius diſtillauerunt Scientiam,
Et ros Sapientiæ in linguâ eius.
Diuinè humanas leges tractauit.
Aduocatum deſiuit gerere,
Vt ſe tutiùs à concupiſcentiâ defenderet.
Quinimmò cauſas tantùm, & Clientes mutauit
Prò bonis agens æternis.
Animi puritatem,
Vel ipſa verecunda facies præſeferebat,
Ideò dignus, cui Virginum demãdaretur cuſtodia.
No-

Nobili Tyrocinio Animas venari, vt addiſceret,
Gallias Ciſalpinas percurrit.
Qui ſeculo abrenunciauerat
Mox Epiſcopus renunciatur.
Moribus placidiſſimus, aſpectu iucundiſſimus.
Tanta ſuauitate Authoritatem tractauit,
Vt vel puniens ad amorem alliceret.
Qualis Paſtoris huius ſollicitudo!
Ab Eccleſia ſibi commiſſa,
Nec momento paſſus abeſſe.
Per Pagos, per Caſtella, per Vrbem
Circumibat, Animas, quas diligebat inquirens.
Spinis coronatus, vt voluptatum
Marcidos Flores abijcerent:
Nudis pedibus, ut terrenas excuterēt cogitationes:
Fune ad collum pendēte, vt ſoluerentur à culpis:
Ponderoſa Cruce grauatus,
Vt emeritarum pœnarum pondere leuarentur.
Ne delictis anſam daret egeſtas,
Egenos inueſtigabat, quos enutriret,
Sibi parcus quò in Gregem eſſe poſſet effuſior.
Diuino planè conſilio Erēmum excitauit
In Aulà Eccleſiaſticis frequentiſſimam.
Quos ſpiritali ardore
Omnes eliquabat in lacrymas.
Per ipſum namque ſpiritu deguſtato

Mirum quam caro deſiperet.
Verus Chriſti Aſſecla Diſcipulis ſuis,
Vel Commenſalis erat, vel Miniſtrator.
Ferreis ad proprium tergum flagellis admotis
Eccleſiaſticam diſciplinam in ipſis promouebat.
Egregius Paſtor, qui prò Ouibus ſuis,
Ne diſpergantur ſe ipſum percutit,
Ne dilanientur ſe ipſum macerat.
Paſtorem itaque tot laboribus prò Grege functum,
Terrę defunctum
Supremus Paſtor in Cœlis reficiendum
Ad Agni Dapes vocauit.
Anno Epiſcopatus VI. Menſe VII.
Ætatis LIII. Menſe III.
Humanæ verò Salutis
MDCLXXXII.
XV. *Kalendas Nouembris.*

INSCR. LXVII.

LVDOVICVS MAGNI
Ex Mediolanenſi Patritio
Minor. Conuent. S. Franciſci,
Ac indè Eccleſiæ huius Aquępendentis
Paſtor egregius
Mortalitatis hic exuuias depoſuit.
Heu!

Heu! Quid viduato Gregi flebilius?
Quam ſiquidem Ludouicus
Eloquentem ſapientiam
Mediolani ac Ticini fudit in Cathedris,
Quam vigilem Charitatem,
Prudentemque dexteritatem
Patria Provincia, et Romana Curia sũt demirat ę;
Hic in Animarum Regimine totam impendit.
Cerne, Viator, qualis nuper felicitas.
Clerus formam Eccleſiaſticę perfectionis,
Patrem Pupilli, Patronum Viduę,
Largitorem Egeni,
Conſolatorem in eo poſſidebant Afflicti.
Sed heu!
Quam magnum dolorem, magna felicitas parit!
Sola sex annorum poſſeſſio.
Seculorum exigit lacrymas.
Vixit Ann. LXI. Menſ. VII. Deceſſit VII. Idus
Maij. MDCLXXX.

INSCR. LXVIII.

LVDOVICO MAGNO

Mediolanenſi Patritio
Min. Conuent. S. Franciſci,
Aquapendentis Epiſcopo Pio, Iuſto, Sapienti
Æterna viuat Memoria,
Si caducum Corpus defecit.
Seculo ab infantia abdicatus, ac Deo dicatus
Paterna Magnitudinem Domus deponens
Inter Minorem Maiorem fecit.
Diuerſis in muneribus nunquam ſibi diuerſus
Vel ediſcens, vel edocens, vel gubernans
Magnitudinem Nominis Meri impleuit.
Laurea Doctorali Romæ inter inſignitos inſignis
Plures Ciuitates Doctrinę ſuæ
Cum fecerit ſpectatrices,
Patriam, qua primum doctus, poſtmodum docet.
Hinc Regio Senatus Decreto
Metaphyſicam profeſſurus
Ticinenſem ad Vniuerſitatem accedit;
Solidæ doctrinæ ſubtilitati flexanimam
Eloquentiæ vim, Morum affabilem Maieſtatem,
Ac Religioſam tractandi ſagacitatem adnectens
Cathedras æque, & Animos rexit

Ma-

Magnus docendo, & imperando Pręceptor.
Prouincię ſuæ Miniſter
Omnibus calculis renunciatus
Regulari Obſeruantiæ totus incubuit.
Ne iuuenum modeſtia dilaberetur
Illi propria conſtruxit domicilia,
Et qui ſemper Cathedras rexerat, nouas erexit
Magiſtris Antiquioribus ſuſtinendas.
Clementis X. P.O.M. proprio motu
Sui Ordinis Procurator Generalis Electus,
Et cõfirmatus nõ ſolũ Iura, ne deperirẽt, defendit,
Sed et deperdita feruenti diligentia redemit.
His perpetratis, Maximi Pontificis oculis
Adeò Magnus cum appareret,
Aquępẽdentis Eccleſia pręponẽdus Paſtor eligitur.
In Cleri Reformatione,
Viduarum, ac Pupillorum ſolamine,
Egenorum ſubſidio quam magnus fuit!
Mediolanenſis Eccleſię
Formam in populis erudiendis propriæ dediſſet,
Niſi Mors illum præripuiſſet.
Natus eſt immortalitati vij. Id. Maij MDCLXXX
Mortalitatis ſuæ LXII. Epiſcopatus autem VI.
Conuentus hic, cuius anteà Filius,
Poſtmodum Pater mæſtiſs. poſ.

INSCR. LXIX.

Religioſiſſimo Pr ſuli
HIERONYMO SAPONARI *Aletienſi*
Abbati quondam Cæleſtini Ordinis Generali
Prudentià, Prouidentià, Doctrinà
Propè Cæleſti.
Quem Scholæ Flumen, Leges Lumen,
Ordo Patronum, ac Patrem, Roma Oraculum
Diù habuerunt.
Hic omnibus Religionis munijs iam perfunctus
Vigeſimæ quintę Trieteridis Anno ſecundo
xvij, Kalend. Ianuarij MDCLXXIX.
Pià functus eſt Vità.
Quàm citò tamen!
Nemo *enim* ad id ſerò venit, vndè nunquàm,
Cum ſemel venit, poſſit reuerti.
Florentinum Cœnobium merentiſſimo Patri
Mæſtiſſimè poſuit.

INSCR. LXX.

HENRICI CONCINI
Ex Comitibus Pinnæ Patritij Florentini,
In

In ſacrà Diui Stephani Militià Equitis
Chriſtianiſſimo Regi Ludouico XIII.
Cubiculariorum Anteſignani
Mortem defleto, qui Sepulcrum cernis, viator.
Hic ex Concino *Galliarum Mareſciallo,*
Ancrenſi Marchione,
Et Galliæ Belgicæ Moderatore feliciter ortus
Vitæ integritate, morum ſuauitate,
Ingenio ad nobiliſſima quæquè parato
A populis reuerentiam, à Principibus amorem,
Ab omnibus admirationem elicuit.
At cum paternæ virtutis æmulator ſpectarètur,
Sperarètur & gloriæ,
Epidimiali morbo per Etruriam graſſante,
Mors illum tumultuariò adegit in tumulum.
Ex teſtamento Hæredes
Patrueli Optimo æternè viuere merenti
Æternum hoc monumentum
Mærentès poſuerunt.

INSCR. LXXI.

LVDOVICO INCONTRI
Noſocomij huius Hoſpitalario,
In Sac. D. Stephani Militià Equiti I.V.D.
Qui rebus ità plurimis præfuit, vt ſibi præeſſet.
Me-

Mediceorum Principum Laurentij, & Mathiæ,
Poſtmodum verò Sacræ Religionis eiuſdem
Cenſuum Præfectus eo ſtudio auxit aliena,
Quo alij propria.
Apud Philippum Quartum Hiſpaniarum Regem
Ferdinandi Secundi Magni Etruriæ Ducis
Per tredecim annos Orator
Voce, Conſilio, Doctrinâ potens
Tractauit magna, compleuit egregia,
Perfecit maxima,
Et, quod arduorum vltimum,
Ditionis Principis ſuo
Per nouas extendendæ Prouincias Miniſter fuit.
Fortunæ vices adeò luſit egregiè,
Vt victor ſemper euaſerit.
Mathematicis diſciplinis excultus,
Marmoribus ingenij monumenta reliquit.
Oſtendendæ Virtutis nec vnquàm occaſio defuit,
Nec vnquàm ipſe defuit occaſioni.
Cum Annos penè viginti propulſandis
Miſerorum afflictationibus inſudaſſet,
Grauiſſimis ipſi perculſo
Ætatis anno poſt ſeptuageſimum quarto
Vigeſima tertia Februarij dies,
Quæ vitam dederat mortem dedit,
Quin

Quin potiùs de corpore mortis huius eripuit
Æternæ Vitæ lucem daturâ
Anno Incarnati Verbi MDCLXXVIII.

INSCR. LXXII.

Aut nunquam defle,
Aut ſolùm hic tantæ ſpei iacturam plora, Viator.
Florentiæ Flos, Patritiorum Deliciæ,
Principum Amor
IO: BAPTISTA CORSINI
Marchionis Bartholomæi Filius
Tener ætate marmoreo hoc iacet in Tumulo.
Mens illi primo matureſcens in æuo
Parcas ſollicitauit.
Virtutes inueniſſet in Iuuene,
Quæ ſępè deſiderantur in Sene
Pietatem, Doctrinam, Prudentiam.
Venuſtati modeſtiam, modeſtię hilaritatem
Pudicitiam hilaritati quam concinnè coniunxit.
Monſtrum dixeris ſapientem Ephebum,
Niſi Medicea inſtructus eſſet in Aula,
In qua dum eleuatur à Principe
Deturbatur à morte. Fallor.
Pertinaciſſimo diù preſſus morbo nūquā oppreſſus
Altiorem Fato conditionem expreſſit.

Ne

Ne ergò properum deceſſum luge, Viator:
Ampliſſimum vitæ ſpatium,
Vſque ad Sapientiam viuere.
Obijt Anno Ætat. suæ xxiv.
VII. Kal. Ianuarij MDCLXXVII.

INSCR. LXXIII.

FABIO CYLLENIO
Diuinæ, & Humanæ Legis Doctori,
Et Aduocato Clariſſimo,
Qui per scientias omnes vnum quæſiuit Deum.
Pijſſimæ iunctus Vxori
Clauſtralem profeſſus eſt continentiam.
Cæli auidus Pauperes abſq; mercede patrocinatus.
Omnes iuuando natus,
Vt vniuerſæ Patriæ vel Defunctus prodeſſet,
Quingenta legalia Conſilia
Virtutis ſuæ teſtimonia, & omnigenā Bibliothecā
Scholis Pijs legauit.
Sigiſmundus à S. Sylu. quem à Puero Tutorem
Habuit, indè Benefactorem expertus
Hoc perpetuæ gratitudinis Monumentum erexit.
Obijt ſuprà Octogenarium biennio
Lentā febri conſumptus xij. Kal. Decemb.
Anno Dom. MDCLXXI.

IN-

INSCR. LXXIV.

IOANNES BAPTISTA SAVONA
Pietate inſignis, Doctrinâ clarus
A Te mortuus exornetur,
Qui Te, Florentia, viuens ornauit.
Corporum aquè, et Animorũ Medicus ſalutaris
Vtriſque nouit mederi.
Pauperum morbos curauit, & egeſtates
Doctrinâ, Argento.
Mente liber, venales Scientias non habuit,
Immò eo ſolũ venales pretio, quo Celũ emeret.
Lucrum putauit ſuum
Alienas deperdere neceſſitates.
Contempta Dominus ſplendidior rei
Quos cæteri cupiunt, & quærunt,
Neglexit, & reſpuit diuitias,
Iis tantùm contentus, quas Animo poſſideret.
Totus Orbis explere non potuit
Solà paupertate contentum.
Ità vixit in ſeculo,
Vt à ſeculi totus abſens illecebris
Cælo totus incumberet.
Et ſacratiora Clauſtra humilitate ſublimem,
Carnis maceratione ſtrenuiſſimum demirata.

Iu-

Iuuenis plenus dierum oppetijt,
Quià nullum diem tranſegit vacuum.
Mortuus eſt Romæ peregrinus
Qui domeſticas vbiq; Virtutes habuit.
Anno Iubilæi MDCLXXV. Ætatis ſuæ xxvij.
Cœli Decretum venerare Viator,
Quod ſanctiùs qui vixerat
Anno Sancto, Sancta in Vrbe
Spolia mortalitatis deponeret.

INSCR. LXXV.

ELISABETHÆ
Aloysij Vecchietti, & Roſinæ del Chiaro
Filiæ Clariſſimæ,
Nobiliſſimæ vtrinque Fœminæ
Formà, Ingenio, & Honeſtate
Propemodum incomparabili,
Quæ Alexandri Rouai primùm amantiſs.
Coniugis vidua,
Thomam Geppi nimis acerba mors viduauit;
Nullà relictà sobole, quià tantæ Mentis,
Et Corporis pulcritudini
Similem proferre negatum.
Obijt Anno ætatis ſuæ LIII. Tertio Kal. Martij
Salut. Anno MDCLXXXII. ab Incarnat.

IN-

INSCR. LXXVI.

Perennet ANTONII COCCAPANI Memoria
Qui perennẽ auitæ gloriæ peperit incrementũ.
Hic Vtroque Iure Laureatus
Eques Aureatus à Carolo V. creatur.
Dignus Vir, quem Auguſtiſſimus Cæſar
a Et Generis nobilitate, & Virtutũ ſplendore,
Et excellenti Doctrinâ inſignem enunciaret,
Et Fide, atque Obſeruantiâ
Ergà Romanum Imperium
Plurimum commendaret.
Tanto dignatus honore,
Vt Nigrum Stemmatis Arietem
Commutaret in Aureum
Colchi Vellere pretioſiorem,
Et Cæſaream Aquilam
Excelſæ Hyeroglyphicum Mentis
Adiungeret.
Ne igitur, Lector, mirère
Si Alphonſus, b & Hercules Secundus c
Eſtenſes Ferrariæ Duces
Probatum rerum vſum, morum præſtantiam,
Singularem in rebus obeundis dexteritatem
Iuſtitiâ, moderatione, ſolertiâ temperatam
Plu-

Plurimis Reip. munijs,
Maximis muneribus cumularunt.

a Ex Cæſareo Diplomate Mantuæ dato die 12. Aprilis Anno 1530. b Ex literis Alphonſi Ferrariæ datis die 15. Iulij 1531 & die 7. Iunij 33. c Ex literis Herculis II. ibidem datis die 5. Maij 40. die 15. Nouemb. 42. die 14 Nouemb. 43. die 29. Iunii 45. & die 15. Octob. 47.

INSCR. LXXVII.

PAVLI COCCAPANI
Nobilis Carpenſis, Mutinenſis, ac Ferrarienſis,
Herculis Spezzani Marchionis Filij
Regij Lepidi Epiſcopi, & S. R. I. Principis
Exiguam partẽ in ſinu Marmor iſtud occultat;
Apoſtoli umenim ſortitus Nomen, & Numen a
Totus ignis cum eſſet, Diuino ex incendio
Vix tantulos Cineres huic reliquit Sepulcro.
Hic ad Regimen creatus à Deo,
Regimine procreatus à Patribus,
Ad Regij curam exoptatus à Populis,
A Pontifice cooptatus Præſul accitur.
Infracti Animi Princeps
Iuſtitiæ Lancem numquàm paſſus eſt frangi.
Conſilio Principibus Carus Princeps,

a Pro Numine Poteſtatem, ſeu Authoritatem intelligo quo ſenſu apud Cic. 6. Phil.

Populis Humanitate dilectus Pater,
Peruerſis Inimicus Virtute Iudex,
Vniuerſis Maieſtate Verendus Antiſtes.
Raram felicitatem hanc virtus adinuènit
In Paulo: *Amorem incolumis.*
Indictà enim vindictæ formà
Inuidiam Munificentià iugulauit.
Vide quales Pauli *deliciæ:*
Ex Delicijs ſeueriorem vitæ intellige diſciplinã.
Diuo Syluerio *Supremo Fidelium Arbitro*
Mirabellæ amæniori deliciarum in Loco
Sumptuoſum condit Delubrum.
Digna Paulo *memoria!*
Dignum Syluerio *Monumentum!*
Vt qui incultà in Inſulà
Iniuſtè à Iuſtinà fuerat occultatus,
Ad Cultiores delicias
Iuſtiùs dicas à Paulo *reuocatum.*
Quàm gratæ Cælo vices!
Delicias apud Paulum Syluerius *inuènit,*
In Syluerio *reperit* Paulus.
Quam prudens Religioſæ Mentis conſilium!
Delicias ſuas Cæli delicias facit,
Vt Cæli ſint ſuæ.
At quid amænius Nepotibus Proauorum eſt
Sanctimonià?

Q Syl-

Syluerij *vitam imitari*
In Delicijs Paulo *fuiſſe ne dubites*;
Vt, qui eodem erat ex Sanguine,[a]
Eandem cuperet Sanctitatem,
Quà ſuauem poſſet experiri vel Mortem.
Cœli conſilium admirare.
Indulgentiſſimo Præſuli
Anno Iubilæi MDCXXV. ab Vrbano VIII.
P.O.M. Epiſcopatu ſuſcepto
Iubilæi Anno MDCL. Deus O.M.
Portas Æternales aperuit. Ætatis LXVI.

---

a S. Syluerius P M Mart. ex Coccapanorum familia fuiſse habetur. Vide Com. Alphonſ. Mareſti Tom. 2

INSCR. LXXVIII

Heu quam multiplex damnis
Vnicum Mortis vulnus!
IOANNEM COCCAPANIVM
Regulì Filium
Flebile hoc obtegit Marmor;
Quo erepto, Religioſam Fides Cultorem,
Æquum Iuriſprudentia Patronum,
Sublimem Natura Philoſophum,
Argutum Matheſis Opificem,
Nobilem Vrbs Carpenſis, & Matinenſis Ciuem,

Ac

Ac Florentina Florentiſſimum perdidit.
Suo Principi ſemper Fidus, & Fiſus
Fidelitatis præmium pretioſam habuit gratiam.
Perfectus Matheſium
Florentino in Lyceo Præfectus a
Etiam Iſtrum bibentes
Ad ſuæ Scientiæ fontem attraxit.
Paulo Coccapanio
Inſigni Principi, integerrimo Præſuli
Genere propinquus, & genio;
Longinquus fuit nec Morte.
Cum de militari Munimine ad proferendum
Obliuium elucubratum opus conficeret,
Obliuij conſors Libitina
Per lapides ingruens imbellem factam confecit.
Præproperam Genitoris Mortem
Seris, at serijs lacrymis lugens
Sigiſmundus ex C. R. Paup. Mat. Dei Sch. Piar.
Quartum poſt mortis luſtrum
Quam ſtylo poteſt defuncto vitam reſtaurat.
Anno reſtauratæ Salutis MDCLXX.
Obijt xiv. Kal. Nou. MDCXLIX. ætat. LXVIII.

INSCR. LXXIX.

Sanguine Fratres, doctrinà Socios
IOANNEM, ET SIGISMVNDVM
COCCAPANI
Reguli Nobilis Carpenſis, & Mutinenſis Filios,
Vnum dixeris diuerſas niſi Effigies conſpexeris.
Ille omnium primus a Mathematicas diſciplinas
Florentina in Academia demonſtrauit
Hic Nemini Secundus b
Certa Operum authoritate
Graphicæ Facultatis Magiſtri c
Antonomaſticum ab Academicis
Adeptus Agnomen.
Ad Patriæ felicitatem ſimul conſpirantes
Bello Munimina, Paci Ornamenta pararunt.
Ioann: *Ciuilibus,* d *ac Militaribus Diſciplinis;*
Sigiſmundus *ad Etruſcorũ Fluminũ directionem*
Perfectis Elucubrationibus. e
At quali ſtudiorum laude!
Alter ſuorum Principum plauſu,
Et Exterorum confluxu;
Alter Doctorum omnium conſenſu,
Inſignis Galilei f *præcipuo teſtimonio,*
Et FERDINANDI II. Sapientiſs. Principis
Ampliſſimis g *Priuilegijs comprobati.*

Am-

Ambo mutuà dilectione genio, & ingenio pares;
In hoc tamen diſpares,
Quod ille Annos LXVIII. viuens
Virtutem ſuam aliquãdiù potuit communicare: g
Hic breuiùs; proindè nec Opus paratum exequi;
Siquidem ſtudiorum monimentis relictis,
Mundum etiam reliquit, & Monumentum ſubijt
h *Annos natus LIV.*

---

a Die 14. Iulij Anni 1638. b Sigiſmundi Vultui poſt eius mortem Typis impreſſo adiecta eſt Manus delineans cũ Epigraphe: *Nemini secundus*. c Eidẽ Vultui adiecta hęc verba: *Nominato il Maeſtro del Diſegno*. d Horum apud nos extant Opera manuſcripta, e Ex Archiuio Reformationum, & apud Capitaneos Partis Guelfæ. f Relatio, & Iudicium datum eidem Sereniſs. Ferdinando II. cuius apud nos extat exemplar. g Obijt Anno 1649. h Obijt Anno 1641.

INSCR. LXXX.

Fumoſa hæc Effigies Clariſſimi Præſulis eſt
BARTHOLOMÆI COCCAPANI *Carpenſis*
Cæſarei a *Iuris Interpretis.*
Dignitates, & Opera Virum detegant,
Quem ſola non poteſt Facies.
A Sixto IV. Pontif. Opt. Max.
b *Ad Ariminenſem Eccleſiam promotus,*
c *Apud Senenſem, magnam tunc Italiæ Remp.*
Vicelegatum geſſit,

Et S. Petri rexit Patrimonium.
Quid verò Ariminij Patrimonium rexit, & auxit.
Rurales nempè Domos erexit,
Exinanitos redditus cumulauit,
d *Sacras Ædes Columbæ, Innocentięq; V. & M.*
Collapſas à Fundamentis ædificauit.
Ac tandèm Boni Paſtoris expleto munere
Vitam compleuit
Anno Dom. MCDLXXXV.
Cuius memoriam ſolidà Virtute fundatam
Nulla ætas deſtruet.

a Ex Inſcriptione Lapidea Arimini poſita. b Anno 1472 vt habet Vghellus Ital. ſac. tom. 2. Ludouic. Vedrian. Mutinenſium Ep ſc. Catalog. Comes Alphonſ. Mareſti Theat. Genealog. tom. 2. c Ex liter s dat. die 20. Maij 1481. d Ex eadem lapidea Inſcriptione.

INSCR. LXXXI.

Etruſcum Ianum cernis, Viator
IOANNEM TEDALDVM
Baldi, & Bartholomææ à Caualcanta Filium,
Qui vtramq; Patriæ Faciem aſpexit
b *Reipublicæ, Principatus.*
Antiquo Iano Prudentià ſuppar
An fuerit hinc conijce.
c *Togas, & Magiſtratus dedit Reſp.*
d *Senatum, & Aulam Princeps.*

e *Col-*

e *Collegiorum Præpoſitus*
Iuſiurãdũ excepit à Principe perpetuò ſeruaturus.
A Coſmo *nempè Ornamentum.*
Nanciſcendam eſſe Patriam agnouit,
Coſmus *per* Ioannem
Dominationis Gratiam augendam.
Qua propter Primus in Senatu, Primus in Aula
Supremo f *Conſiliorum in Tribunali*
Principis Locum tenens
Qui Publicæ rei ſemper vixerat
Publico g *ære ſepultus eſt*
III. Id. Martij Ann. D. MDLXVI. *Ætat.* LVIII.

a Ex Arbore Genealogica. b Ex Prioriſta Flor. c Ex Archiuio Reformationum Flor. d Senator renunciatus eſt Anno 1537. ex eod. e Ex eod. f Ex Cancellaria huius Tribunalis. g Ex eadem Cancell.

INSCR. LXXII.

IOANNES SYLVERIVS
A S. Ioſeph de Bartolinis Piſtorienſis
Cleric. Reg. Schol. Piar.
Morum innocentiâ, feruenti in Deum Amore,
Ingenij ſublimitate
In ipſa Adoleſcentiâ mirabilis,
Qui ſtimulos Carnis ferreis
Stimulis reprimebat,

Q 4 *Li-*

Literis æquè maximè, & Contemplationi deuotus
Magnam de ſe expectationem relinquens
XIV. poſt Ingreſſum Religionis Menſe
Florentiæ obijt VIII. Idus Septembris
MDCLXXIII.

INSCR. LXXXIII.

CAROLO A S. DOMINICO
De Caſinis Lucenſi Cler. Reg. Schol. Piarum
Auſteritate Vitæ, Paupertatis amore,
Religioſæ obſeruantiæ zelo conſpicuo.
In laboribus adeò aſſiduo,
Vt nec graues Corporis afflictationes
Retardare poſſent ab Opere.
Animarum Directione verendus,
Cum varias Religionis Domos
Diù laudabiliter rexiſſet,
Etruſcæ Prouinciæ Annis XIV. Prælatus
Sacram Synaxim S. Frigdiani Monialibus
Miniſtraturus
Familiaria ſibi Apoſtoli verba pronuncians:
Dum tempus habemus operemur bonum;
Ipſe bonum ſemper operatus
Ad mercedem recipiendam

De

De manu Domini, quem tunc manu tenebat,
Apopleticà ſincope correptus deceſſit
Florentiæ VII. Idus Sept. MDCLXXVI.
Ætat. ſuæ LXXII. Religionis LV.

INSCR. LXXXIV.

CYPRIANVS A S. CAROLO
Ferrarienſis Franciſci Creſcimbenij Filius,
Cler. Regul. Schol. Piar.
Puſillus Corpore, Vaſtus Mente.
Alter, ſi vixiſſet, Eccleſię Cyprianus futurus.
Pietatem expreſſit moribus, Calamo Ingenium,
Vtrumque primæua ætate perfectum.
Verſatili Ingenio
Philoſophorum acumen, Oratorum amęnitatem
AEquà felicitate aſſecutus.
Ità natus Apollini,
Vt Poeſim in eo
Naturam, quam Artem credere maluiſſes.
Quatuor Poematum expletis libris
AEtatis Anno xviij. nondùm expleto,
Religionis iv. Kalẽdis Auguſti Vitam compleuit
MDCLXXVII.

IN-

INSCR. LXXXV.

EXVRGE TANDEM CALAME
DE SEPVLCRORVM VMBRIS
CRESCENTIS AD SOLIS LVCEM,
ET
FERDINANDVM TERTIVM
ETRVRIÆ SERENISS. PRINCIPEM,
QVI SE IN VNO
COLLECTOS AVORVM OMNIVM RADIOS
EFFVNDIT
OBSERVANTISSIME VENERARE
NIHIL IN EO IVVENILE PRÆTER ÆTATEM.
SINGVLARI DEI OPIFICIO
IN VVLTVS VENVSTATE
ANIMI MAIESTAS REFVLGET.
SACRA MVNIFICENTIA
AD PIISSIMA QVÆQVE PARATVS.
COSMI TERTII
PIETATEM E VESTIGIO DVM SEQVITVR
A FILIO GLORIOSA IACTVRA
SVPERARI OPTIMVS PATER
IAM SPERAT.
OCII LOCVM IN EO OCCVPANT SCIENTIÆ.
REGALES INTER DELICIAS
NIL CARIVS HABET SAPIENTIBVS.
SEVERIORA SEQVITVR STVDIA
MITISSIMVS PRINCEPS.
NATVRÆ ARCANA, MORALIA PLACITA,
MATHEMATICAS DISCIPLINAS,
PRVDENTIÆ MATREM HISTORIAM,
VARIVM IDIOMATVM CVLTVM
ET IN SE IPSO FOVERE,

SED

ET AMPLO CENSV
IN POPVLIS EXCITARE
TANTI PRINCIPIS SVNT AMORES.
O QVALEM COSMVS IN FERDINANDO
SERIEM PRÆSENTI PARAT FELICITATI!
TOTVS TIBI ERIT, ETRVRIA
QVI NVNC TOTVS SIBI.

INSCR. LXXXVI.

Qui aliena ſurripitis
Magna Mentes quid agant ediſcite.
Congreſſus Ciuiles
Quondàm Camillus Baldus *manuſcriptos*
Reliquerat,
Sed inciuiles, ac barbaros,
Quià vindictis plenos, & ſanguine.
Hinc meritò obliuione ſepulti.
MATHIAS MARIA BARTHOLOMÆI
Montis Gioui Marchio
Hos cūnctis ignotos publicà donans luce,
Ne dum ſibi non arrogauit,
Sed ferè totum erogauit è ſuo,
Atq; veterē Hominē Coruinis pēnis deplumās
Aquila ad Solis Diuini radios comprobata
Solidiori dedit efflore ſcere Iuuentute.

Quod

Quòd viuat, & quòd preclarè viuat
Mathiæ *debet hic Liber.*
Dignus ſiquidèm antè qui roderetur à tineis,
Nunc qui omnium teratur manu
Luce carior, quia luce clarior.
Si priùs hunc, Lector, noueris,
Alterum dixeris eiuſdem Nominis Filium;
At eundem crede
Prudentem, generoſum, ac piam
Renocatum ad Vitam.
Maior laus alienam Prolem regenerare,
Quàm propriam generare.
Mirum tamèn nõ eſt, honeſtior quòd adoluerit.
Tanto ſub Directore diuerſus eſſe
Non poterat.

INSCR. LXXXVII.

FRANCISCVM ANTONIVM
Triuerium à Biella
Min. Conu. S. Franciſci S. T. M.
Contrà Hæreticam Prauitatem
Patauij quondàm, nunc Florentino in Dominio
Generalem Inquiſitorem, Spectator vides,
Vigilem cuius Sapientiam
Boni diligunt, mali timent, cuncti reuerentur.

Hic

Hic, omnes vt vnũ per ipſum Fidem intelligãt,
Diuerſas linguas edidicit;
Vt omnes vnam Doctrinam colant,
Omnium doctrinas exhauſit
Fidei Propugnator, & Propagator egregius
Fideles errantes corrigit,
Infideles errones allicit.
Macedonico Gladio nil opus eſt:
Gordianos Difficultatum nodos
Acuta Mentis acie momento diſſoluit.
Graues iudicandi labores
Grauiſſimis leuit ſtudÿs.
Mirum! Quod alios frangit, hunc recreat.
Sol, Luna, Sydera Gentilitia Inſignia
Clariſſima Mentis symbola iure dixeris.
Hac Fidei Præſide ter verè felix
Etruria Hæreſum tenebras non attinges;
Totum videlicet Cœli lumen
Triuerius *aperit.*

INSCR. LXXXVIII.

Adeſte Florentiæ Ciues.
In vno LEONARDO ZENOBI
Min. Conu. S. Franc. S.T.M.
Quantorum Recinitenſis Terra
Pro-

Prodigiorum ferax conſpicitæ.
Qui Leo, Nardus, Zenobius *vnus apparet:*
Delinquentibus Leo *verborum terrore,*
Innocuis Nardus *amoris dulcedine,*
Quibuſcumque Zenobius *Zelotypia feruore.*
Parentes a *primus ad fidē attraxit* Zenobius,
Iſte Inimicos; Iudæos inquam,
Quibus, quamuis Aduerſarius,
Mirum in modum placuit.
Mira ſanè quæ hoſtibus placeant!
At quem inſueta non alliciunt prodigia?
Huius Nardi *virtutem b*
In Vinum degenerantem ſumite mortales;
Virtutem ſumetis; Ebibite Iuſti;
Sibi non malè conſcijs corda lætificat.
Arripite, Iniuſti,
Quos Babilonica Meretricis infamis Calix
Ebrios effecit:
Nardus *hæc libidinum ebrietati reſiſtit.*
Hac Nardina *Coronâ c Tēpora præcingimini,*
Qui æternâ meritorum Coronâ
Præcingi flagratis.
At quid Actum agere? Nardus *iſta*
Tam fusè odorem ſuum effundit,
Vt in eius ſuauitatem frequentia cuncta
Non currat, ſed in præceps ruat.

De

De Tribu Iuda Leonem *eſſe quis inficiabitur,*
Quem Iudæorum caterua ne dum dilexerit,
Sed ab orantis ore intenta pependerit?
Vera Leonardi *Dogmata*
Mendacij Propugnatoribus placuiſſe miraris?
Deſine; d *ex Forti enim iſto*
Magna egreditur dulcedo.
Sampſonis iam claram Ænigma:
E Leonis *videlicet Fortitudine.*
Mira morum, mira verborũ dulcedo profunditur.
Verus Leo *rugitu ſuo dum partus animat,*
Hoſtes exanimat.
Immò meliorem ipſorum partem viuificat:
Timoris neſcius Flammas Leo *iſte non pauet:*
Immò inflammatas libidinum æſtu
Temperat mentes.
E ſuggeſtu tanquam è Cælo dum fulget,
Cæleſtes flammas profundit,
Et accenſis Verborum radijs,
Quas mentes laſtrat, illuſtrat,
Accendit illaſtratas.
Leonis *huius rugitus attendite*
Qui ab effrenata delinquendi libidine refrenari
Indecorum putatis, Indole ſeruitutis ignarà
Seruilem criminum libertatem effugere,
Liberam Dei ſeruitutem obire Populos docet;
At que

Atque in Diuinæ legis iugo
Nobilem libertatem conſiſtere perſuadet.

a Alluſio ad S. Zenobium Florentiæ Epiſc. b Ex Nardo Vinum efficitur, Plin lib. 14 cap. 16. c Ex Nardo Coronæ antiquitus formabantur, ibid. lib. 21. cap. 3 d De Forti egreſſa eſt Dulcedo, Iudicum cap 14.

INSCR. LXXXIX.

Fons iſte,
Quem Aquas vndequaq; fundentẽ cernis, Viator,
Symbolum Fontanæ Gentis potiùs, quã Stemma.
Pręclaris nãq; principijs iſta Ferrarię pullulans a
Limpidè per longa ſecula diffuſa eſt.
Generoſos diffluentes hinc Riuos contemplare.
Ægidius, & Gallianus fratres Cõſules Patauini b
Anno CCCCXXI. *Venetæ naſcenlis Reip.*
Patres electi c
Alter d *Numa recens primas Leges conſtituit;*
Alter e *Conſul primus ipſarũ præfuit obſeruãtiæ.*
Tantorum Herouni *gloria diù propagata,*
Sed nocuit aliquandò nimia potentia.
Philippus Archiepiſcopus f *Rauennatum*
Obizi Ferrariæ Ducis Dominationi dùm obſtat
Vniuerſæ Familiæ nolens ferè parat excidium
Anno ſiquidem MCCLXX. *à læſo Principe* g
Æqua-

Æquatæ ſolo Fontanorũ Domus, vaſtata Prædia,
Gulielmus, & Burcadrus fratres h
Io: & Aldigherius, Raimundus, & Iacobus filij
Tota è Ditione proſcripti.
At verò aduerſa Fortuna depreſſit ne, an euexit?
Fontis naturam perpende.
Nunquàm altiùs aſcendit,
Quàm cum anguſtiùs Vnda comprimitur.
Virtus nullibi transfuga
Diuerſarum Regionum nobiles fecit incolas.

BVRCARDI

Nempè Diſſentitium pergẽtis Prozenies inclyta
i *Militiæ primos honores, Coirenſem* l *Infulam,*
Et Sac. Rom. Imperij Principatum adepta.

GVLIELMVS

Coniugio m *propinquus Eſtenſibus,*
Virtute deſiderabilis
Ab ipſo Principe Obizo n *reuocatus*
Tanto fuit in pretio, vt Mutinenſia ei negocia o
Summà fiducià commiſerit,
Et beneficijs diſpendia compenſauerit.
Quapropter munificentiſſimè ibi detentus
Sacrarum Militiarum p *Equitibus,*
Ducibus q *Exercituum,*
Ad Magnos Principes r *Oratoribus,*
Epiſcopis, & Apoſtolicis Nuncijs,

Nobilium Ditianum Comitatibus,
Ac Laureà Sanctitatis
Exornandam reliquit Poſteritatem.

IOANNES

Rauennam ſ primùm, poſtmodum t Mutilianam
Transferens Incolatum
Talem ſolidæ gloriæ ſtimulum
Seros in Nepotes transfudit,
Vt erumpentes generoſiſſimè,
Per Virtutẽ plures Honorũ gradus u aſcenderint.
Tot ſecula
Fontem iſtum clariſſimis Aquis
Abundè conſpexere manantem?
In Flumen futura verſum conſpicient.

a Sarti in Enumerac. Familiar Nobiliũ Ferrar. b Marc. Sabellic lib 2. Rerum Venetarum. c Bernardinus Scardeonius Sacerdos Patauinus. d Marc. Sabel. vbi ſup. e Creſcent in Compend Hiſtor. Illuſtr. Famil. Italiæ par 1 nar 153 cap. 3. 5. f Rubeus Hiſtor. Rauen fol. 440 g Rub ibid. fol 443. h ibid 444. i Ex literis Nicolai III. 15. Kal. Apr. 1227. Pater Buccellingus. l Ex publ. & autent. Ciuit Diſſertin. atteſt. die 21. Iunij 1681. m Simon Fornari in ſua expoſ. Ludou. Arioſt. c. 3. n In lib. regiſt. mem Ciu. Mutin pag. 231 o in eod lib p ibid. per tot. q Creſcent. vt ſup. fol 446 & 483 r In Archiu. Sacræ Religionis Hieroſolim de anno 1665. & in ſuprad. lib Mutinæ. ſ Rubeus ibid. fol. 444 & 445 t ibid. fol. 563 & ſeq. u Ex pub. act Mutil & Imolen. vt fuſius apud Abb. Eugenium Gamburrin. Hiſt. Geneol.

APPROBATIONES.

CAROLVS IO: A IESV CLERIC. REGVL. Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum Præpoſitus Generalis.

CVm Præluſiones Poeticas à P. Sigiſmundo à S. Syluerio noſtræ Etruſcæ Prouinciæ Præpoſito Prouinciali concinnatas ij, quibus illas commiſimus, recognouerint, atq; approbauerint; vt Typis mandetur, ſi ijs, ad quos ſpectat, ita videbitur, facultatem in Domino concedimus. In quorum fidem, &c. Dat. Romæ in Ædibus noſtris Scholarum Piarum apud S. Pantaleonem die 6. Februarij 1683.

Carolus Io: à Ieſu.

Io: Chryſoſtomus à S. Paulo Secret.

P. Mag. Raphael Badij Dominicanus videat, ſi in opere iſto ſit aliquid contra fidem, & bonos mores, & referat. Dat. 2. Nouemb. 1682.

Alex. Puccius Vic. Gen. Flor.

Il-

Illuſtriſs., ac Reuerendiſs. D.

Præluſiones Poeticæ R. Admod. Patris Sigiſmundi à S. Syluerio Coccapani Præpoſiti Prouincialis Cler. Reg. Scholar. Piar. &c. quas Te iubente, oculis attentè luſtraui, nil penitus, quod noſtræ S. Fidei, & bonis obſtet moribus, continent profectò; sed clariſſimum ſingularis eruditionis tam pij, doctique Authoris præſeferunt teſtimonium; ità vt nullus ingenioſũ dignius laudare poſſit Sigiſmundum niſi alter Sigiſmundus. Ità fateor ingenuè, atque ex animo, propria manu atteſtor. Florentię in S.M. Nouellæ Cęnobio Tertio Nonas Nou. 1682.

Ego præfatus F. Raphael Badius.

Imprimatur, ſeruatis ſeruandis. Dat. 9. Nouemb. 1682.

Alexander Puccius Vic. Gen. Flor.

Adm. R. P. Mag. Tedaldus Conſultor S. Off. Flor. videat, & diligenter legat has Præluſiones Poeticas, & referat. Dat. ex Ædibus S.Off. Flor. die 11. Nou. 1682.

F. Franc. Auguſt. Gambarou Canc. S. Off. Flor.

Re-

Reuerendiſs. Pater Inquiſit. Gener.

In varijs iſtis Carminibus, & Inſcriptionibus verè Nobilis, ac Religioſus Author Coccapanus in nullo variauit Hiſtoricam veritatem, quin potiùs elegantiſſimè confirmauit, dilucidauitquè, dum virtutem multorum Virorum lepidiſſimè decantando iuxtà ſacrorum Canonum Sanctiones, vti in omnibus ſuis doctiſs. lucubrationibus ſemper præſtitit abundanter, quibus iam prætetitis, & Typis feliciter mandatis, nunc præſentes tanquam auitæ gloriæ germanos ſociari poſse abſolutiſſimè cenſeo. Ex Ædibus D. Annunciatæ de Florentia die 8. Decemb. 1682,

F. Euangeliſta Tedaldi Seruita SS. Inquiſit. Conſult. Theol. S. M. D. Etr.

Attenta ſupradicta relatione Imprimatur. Die 14. Decemb. 1682.

Fr. Franc. Auguſt. Gambaroua Cancell. S. Off. Flor.

Matheus de Mercatis Aduoc. pro S. M. D. Etr.

Digitized by Google

ERRATA. CORRECTIO.

Pag. 28 Promotheæ, Prometheæ. 35. flamina, stamina. 50. feudit, findit. 60. codes, cades. 68. commuuis, communis. 69. quondam. quondam *senza punto*. 70 longi, longis. 85. mediata, meditata. 87. aſsurgis aſsurgit. 89. laturum, daturum. 90. Arabeſq; Arabſq; Perfide, Perside. Mempheos, Memphios. 92 labentis, labantis. 94. Confilij, Consilij. 95. Deflegit Deflexit. 98 quem, quam. 100. eſt incolis, & incolis. 103. Curfibus, Cursibus. 109 mentem, mente. 115. e viuus, è viuis. Attila, Attilæ. 117. depræhenſo, dep'ænſo. 126. in titulo Epigr. tt, rr. 137. Blactris, Blattis. 138. Męthonis, Methonis. 145. celebraruns, celebrarunt. 162. eommoratus, commoratus. 165. fint, sint. 166. Orsibus, Oſſibus Orſa. Oſsa. 170. ingreſsute, ingreſsure. 176. ex, eſt. 179. ambigus, ambigas. 186. ac, at. 192. debunt, debuit. 193 Deus, Deum. 197. adſcicitur, adſciſcitur 201. edauit, sedauit. 207. su:, suis. 214. Arſeclæ, Arſecla. 217. Aboculos, Oboculos.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google